
3

Conspectus

1) J. C. Ammanni Dissertatio de Loquela. Amstel. 700

2) G. C. Schelhammei de Auditu Lib. 1. Lugd. B. 684

DISSERTATIO DE LOQUELA

Qua non solum
Vox humana, & loquendi artificium
ex originibus suis eruuntur:
Sed & traduntur media, quibus ii,
qui ab incunabulis

SURDI & MUTI

fuerunt, loquelam adipisci, quique difficulter
loquuntur, vitia sua emendare possint.

AUCTORE
JO. CONRADO AMMAN, Med. Doct.

Plurima jam fiunt, fieri quæ posse negabant.



AMSTELÆDAMI,
Apud JOANNEM WOLTERS,
CIϽ IϽ CC.

Cicero de Nat. Deor.

Opinionum *commenta delet dies*: Naturæ *judicia confirmat*.





AMPLISSIMO,

Summoque Viro,

JOANNI HUDDE,

Urbis Amstelædamensis

XIX. CONSULI,

Hanc de Loquela Dissertationem cum omnigenæ prosperitatis voto

D. D. AUCTOR.



Ecennium circiter elapsum est, VIR *Amplissime*, ex quo peregrinationis ergo ab *Helviticis Alpibus* ad oras hasce appuli;

ubi regionis amœnitate, Literatorum frequentia & morum ſuavitate, imprimis autem incomparabilis hujus Urbis, in qua Tu velut nitidiſſimum ſidus emicas, ineffabili dulcedine totus adeo demulcebar, ut deinde, quaſi *Lotum* deguſtaſſem, non niſi invitus ad patrias remeare ſedes potuerim. Nec tamen diu ibi commoratus *Viri amiciſſimi* precibus *Harlemum* redire lubens adigebar, Filiæ ipſius *Surdæ*, & ob ſurditatem connatam *Mutæ*, erudiendi gratia: quem ſcopum plus fere quam attigi, & eventus meum Patrisque ſpem longe ſuperavit; *Venuſtiſſima* enim iſta *Puella* anguſto duorum menſium ſpatio
non

non tantum ſatis articulate legebat, ſed & quævis tarde pronunciata in chartam conjiciebat: jam autem de quacunque re non inepte confabulatur, alios, *Surda* licet, loquentes oculis audit; & ad interrogata promte reſpondet.

Tandem *Methodum*, qua hæc omnia illam docui, non indignam judicavi, quæ in proximi emolumentum, ſub nomine *Surdi Loquentis*, publica fieret, doctiorum judiciis ulterius trutinanda. Dehinc, VIR *Ampliſſime*, membrum hujus civitatis factus, ab aliquot retro annis præter praxin Medicam & huic modo enarratæ, *Deo* utrique benedicente, non inutili-

ter operam dedi : Nec minus obtinui, quod vel maxime, optabam, ut etiam exteræ Nationes ad ſimile quid audendum incitarentur, atque veluti manu ducerentur, quantumque in me eſt, tot ubique terrarum *Muti* non amplius eſſent; Quippe ex *Anglia* & *Germania* literæ ad me dabantur, quibus Viri ſtrenui & cordati ſe veſtigiis à me commonſtratis feliciter inhæſiſſe teſtabantur, & ubi vel juſto brevior, vel ob argumenti novitatem obſcurior videbar, me conſulebant.

Quo autem juſtis eorum Votis ſatisfieret, loco tenuis illius ſpeciminis hanc de *Loquela* Diſſertationem concinnare, & *Am-*

plissimo Tuo Nomini ea, qua decet, reverentia ſacram facere conſtitui; plane confiſus, laborem, in miſerorum ſolatium unice ſuſceptum, *Tibi*, cui publica felicitas potiſſima & tantum non ſola cura eſt, eo minus fore ingratum, quo propius accedit ad *Spartam* illam, quam hactenus non tam coluiſti quam mirifice ornaſti, *Mathematicas* inquam *diſciplinas*; pleraque enim, quæ hic trado, ea ἀκριβείᾳ, qualem *Geometræ* requirunt, ad trutinam vocavi.

Ut itaque, VIR *nobiliſſime*, inſtituti mei rationem breviter *Tibi* exponam, quem enim potius quam *Virum* immenſæ doctrinæ, & omni ſcientiarum ge-

nere imbutiſſimum, cujusque ſolum Nomen univerſus Literatus orbis veneratur, ingenioli æſtimatorem facerem? dico, me, poſtquam Vocis humanæ officinam & integrum loquendi artificium ad fontes uſque ſuos indagavi, ingenue, &, quantum potui, aperte docere non tantum, qua arte ii, qui *Surdi* & ab incunabulis *Muti* fuerunt, loquendi facultatem adipiſci, quique caſu vel morbo *Auditum* & *Loquelam* amiſere, poſteriorem hanc recuperare poſſint: ſed & qua Methodo *Lōquelæ vitia* quæcunque, modo ne organa penitus ſint inepta, emendare liceat: eo quidem cum ſucceſſu, ut quæ ego *vitia* judicavi inſanabilia,

bilia, iis mederi hactenus ne vel ausus fuerit quisquam.

At vereor, ne, dum aliquibus prodesse studeo,

in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora
CONSUL;

cujus & ipsum otium publico consecratum est bono. *Deum* itaque T. O. M. supplex rogo, ut Te, VIR *Amplissime*, florentissimæ hujus *Reip.* certum columen, civium delicias, bonarum artium illustrem *Cultorem* & *Fautorem*, diu superstitem esse velit, nosque tranquillo hoc otio, quod hactenus sub Tuis & *Am-*

pliss. Collegar. auspiciis tam benigne concessit, novo hoc sæculo quam diutissime perfrui: Præterea me meaque studia benevolentiæ Tuæ etiam atque etiam commendo, qui dum spirabo, Tuus ero ad omnia boni civis officia paratissimus, & *Amplissimæ tuæ dignitatis* venerator perpetuus

JO. CONRADUS AMMAN.

Amstelædami Kal. Februarii A. CIↃ IↃCC.

LE-

CANDIDO

LECTORI S.



Ova tibi & forsan incredibilis videbitur B. L. *hæc nostra de instituendis* Surdis *doctrina, non tamen inaudita est; fuerunt enim, ut dudum accepi, quidam, quibus eadem cura fuit: qui autem ii fuerint, & quid effecerint, hactenus me latuit, sancteque testor, mihi, antequam ipse excogitaram, ne vestigium ejus apud ullum* Auctorem *occurisse. Cum sexto, ni fallor, Surdo erudiendo operam darem, familiariter nosse mihi contigit Illustrem illum Philosophum* Fr. Merc. van Helmont τὸν νῦν ἐν ἁγίοις, *qui ante plures annos* Alphabetum quoddam naturale *à se*

editum

editum narrabat, ubi de Surdorum natorum *informatione ſe egiſſe teſtabatur: cum autem me inſtituentem videret & audiret, non modo me ſibi nihil debere, ſed, ut erat ſumma* Viri *ingenuitas*, ſe longe à me ſuperatum in praxi fatebatur.

Verum, dum hæc de Loquela *Diſſertatio ſub prælo erat, eodem fere tempore & incidi in locum eruditiſſimi* P. Zachiæ *Quæſt. Medico-Legal. L. II. Tit. II. Quæſt. VIII. n.* 7. *ubi ex* Valleſio *Lib. de Sacr. Philoſoph. cap.* 3. *narrat de* Monacho, *qui* Surdos *à nativitate loqui docebat, præterea nihil addit: & redditæ mihi ſunt Literæ, à Viro Clariſſ.* Jo. Wallis *Mathemat. Oxonii Profeſſore ad me exaratæ, quibus ſe ea, quæ in* Surdo meo loquente *tradideram, non modo tentaſſe, ſed feliciter olim peregiſſe, mihi ſignificabat, quasque cum reſponſo ad eas dato,*

dato, ne Æsopicæ instar Cornicis alienis superbire plumis viderer, præfationis loco hic inserere volui, quo tibi, B. L. *innotesceret, quid mihi cum tanto Viro sit commune, & in quibus ab eo differam.*

Clariss. WALLISII *ad me Epistola hæc est.*

Vir Cl.

T*Ractatum tuum, cui titulus* Surdus Loquens *(Anno* 1692. *ut videtur, editum) hesterno die primum vidi. Legique protinus, ideo præsertim quod eadem ego re me dudum exercueram. Laudo conatus tuos, & successum gratulor. Nescio num videris meum de* Loquela *(seu sonorum Loquelarium Formatione)* Tractatum Gramatico-Physicum, *(meæ de* Lingua *Anglicana Gram-*

uaticæ præfixum) Anno 1653 *primo editum, atque exinde pluries redimpressum. Ubi videas plurima tuorum traditorum cum nostris communia. Sicubi à tuis diversa trado, sonosve à te omissos, id tibi credo, non displicebit. Habetur item in operum meorum Mathematicorum Volumine Tertio (inter Tractatus Miscellaneos:) Ibique videas (inter Tractatus Epistolares, Epist.* 29) Methodos *meas pro* Mutis Surdisque *alias informandis, in Lingua præsertim Anglicana. Hujus artis ope, (Anno circiter* 1660 & 1661) *duos homines plane* Surdos *(quorum alter, ni fallor, adhuc in vivis est, aut nuper erat) docui distincte loqui, sonosque quoslibet proferre; etiam difficillima* Polonorum *vocabula (dictante quodam nobili* Polono, & *factum admirante) quæ solent illi aliis proponere ut vix, aut ne vix, imitabilia. Plurimosque*

alios,

alios, loquendo hæsitantes aut bal-lutientes, docui distincte proferre sonos, quos ante non potuerant. Exterosque (quasi momento) docui sonos proferre nostros, quos ante asserebant sibi prolatu impossibiles. Quæ moneo, non quod conatibus ego tuis quicquam velim derogare, sed promovere potius. Nec singula repeto, utpote quæ ibidem videas distincte tradita, tibique credo, non displicitura. Vale.

Tuus ad Officia,

JOHANNES WALLIS.

Venerando huic Doctissimoque seni ita respondi:

Viro

PRÆFATIO

Viro Clarissimo, Doctissimo,

JOANNI WALLIS,

S. P.

JO. CONRADUS AMMAN.

SI quid unquam voluptatem mihi attulit, fuerunt id literæ tuæ, humanitatis plenissimæ, quibus te Methodum *meam, qua Surdos natos loqui doceo, non tantum & legisse & probasse, sed & in eadem olim palæstra desudasse testaris.* Gratulor *mibi, quod vel in hac re aliquid cum tanto* Viro *commune habeam, cui in cæteris tantum cedo, quantum sidus, fere inconspicuum, lucis patri Soli. Utinam de tali duce mihi maturius constitisset; multo enim labori, quem ob nativam ingenii tarditatem diu exantlare debui, pepercissem. Eo gratiores mibi*

hi erant literæ tuæ, *quod eo ipso tempore accepi, quo hæc mea de Loquela dissertatio sub prælo sudabat; sic enim causa mihi fuisti, ut hujus me* Methodi *nec primum nec unicum* Auctorem, *quod diu credidi, coram literato orbe fatear: quæ vanitas, si quid aliud, à me est alienissima. Nactus tandem fui* Tomum tertium operum tuorum Mathemat. *cujus in literis tuis meministi; non tam mirabar, sublime adeo ingenium in eam* Methodum *incidisse, quam nostrum plane admirandum in plerisque consensum, quasi in idem data opera conspirassemus; cum tamen ego eo tempore, quo tu tua edideras, in* Democriti *puteo, vel si quid est profundius, adhuc laterem, utpote viginti demum post annis natus: & erudissimum tuum de Loquela tractatum, nescio quo fato, ante biduum demum vidi, & summa cum voluptate perlegi.*

Paucis itaque, Vir clariss. *respon-*

ſi loco ad literas tuas præmiſſis, *me-um de tuo* tractatu *judicium*, (*hanc enim libertatem in malam te non ac-cepturum partem confido*) *cum reve-rentia exponam*, *quo & tuum de mea hac* Diſſertatione *judicium*, *ſi id meretur*, *eliciam*. In *Surdo meo lo-quente*, *quem* Anno 1692. *edidi* (*qui-que paulo poſt in varias* Linguas, & *inter eas à* Dan. Foot Medico Londi-nenſi *in* Anglicanam, *tranſlatus fuit*) *ſolas* Germanorum *literas ad exa-men revocavi*, *ejusque p*. 25. *ratio-nem reddidi*; *quare non miror*, *te plures alios* Sonos, *ibi non traditos*, *obſervaſſe*: *imo & ego*, *ut pluribus prodeſſem*, *in præſenti* Tractatu, Sonos *quoſcunque mihi notos*, *quos tunc temporis non tam omiſi*, *quam ab inſtituto meo alienos putavi*, *deſcri-bo*, & *eo ordine*, *quem hic in* Tabula Synoptica *videbis*, *diſpono*, *qui tibi*, *credo*, *haud diſplicebit*.

Quod attinet Methodum, *qua u-terque* & Surdos natos *loqui docui-mus*,

mus, & *insignia* Loquelæ vitia *feliciter emendavimus*, (*num ab illa* Monachi Hiſpani *differat tecum ignoro*) *mecum fateberis*, *eam non eſſe niſi ingenioſam eorum*, *quæ* Literarum naturam *ſpectant*, *ad* praxin *applicationem*; *proin ſi in* Theoria *conſentimus*, *in* praxi *diſſentire nequimus*. *Non tamen inficias ibis*, *diverſos Surdos diverſis etiam modis eſſe erudiendos*, *imprimis quoad* vocales, *quas non omnes homines una & eadem oris conformatione efferunt*; *unus enim certa quadam oris apertura pronunciabit* o *vel* e, *qua alter* u *vel* i, & *viciſſim*, *quod* & *de aliis quibusdam* Literis *obſervavi*: *ita ut*, *qui* Surdos *inſtituit*, *judicioſum valde eſſe oporteat*, *quo omnibus ſibi obviis incommodis promte mederi queat*. *Miſſa igitur praxi* (*in qua me ſine jactantia feliciſſimum dicere audeo*, & *de qua ipſe ex* Diſſertatione *judicare poteris*) *ad elegentem tuum de Loquela tractatum devenio*.

Quæ de Loquela in genere tradis, adeo recte & ingenioſe dicta ſunt, ut iis nihil addere auſim: ſi tamen Cap. primum hujus Diſſertationis legere non te pigebit, quædam de voce & ſpiritu non ſonoro invenies, quæ, ut credo, non improbabis.

Venio jam ad tuam Vocalium & Conſonarum deſcriptionem, ubi plurima, ut ipſe ais, mecum habes communia: quædam tamen cum rei natura non plane congruentia, ſicuti mihi videtur, deprehendi. Nimis mihi videris ſollicitus in evincendo numero ternario cujusque Vocalium claſſis. Ego non niſi unam Vocalem pure gutturalem invenire potui, nimirum a, quale à Germanis & plerisque nationibus pronunciatur, à quo o veſtrum apertum vix differt. Huic proxime accedit a veſtrum exile, quod tu inter Palatinas recenſes: eſt tamen Vocalis, ut ego aperte doceo, ex a & e mixta, & cum Germanorum aͤ, Gallorum ai, & forſan Latinorum æ coincidit,

cidit: ita ut, me judice, potiori jure a *veſtrum* exile *inter* Gutturales *retuliſſes quam è iſtud* fœmininum. *Quid autem ſibi velint inter* Gutturales ò *tuum vel* u obſcurum, *vix aſſequor, & mihi revera eſt obſcurum; ſi enim reſpondent Gallorum* eu *in voce* Sacrificateur, *ſunt eadem litera cum Germanorum* $\overset{e}{o}$ *& Belgarum* eu, *quæ tamen formantur ex* Vocalibus o & e, Dentali *una, altera* Labiabi, *in unam Sonum coaleſcentibus: namque ſi, dum* e *pronunciatur, labia ſenſim magis magisque ſtringantur, fient inde Gallorum & Belgarum* eu & u.

Quod attinet Vocales Palatinas *ſive* Dentales, *ego duas tantum agnoſco puras* e & i, *quarum utraque, non ſecus ac* Labiales o & u *ſeu* w, *ſuam habent latitudinem, ut modo a*pertiora *ſint, modo* magis clauſa, *quod tamen eorum naturam non immutat: id te ſeduxiſſe arbitror, dum* y veſtrum *(quod cum Belgarum & Germanorum* j *idem eſt) &* w *è voca-*

lium numero exemisti, motus quadam soni *differentia, quæ deprehenditur, quando* i *apertius post* y, *aut* u *post* w *pronunciatur.*

Iis quæ de Vocalibus Labialibus *tradis nihil addo, nisi quod dicam, vestrum & Gallorum* ù exile, *modo eadem sint* Litera, *non formari minori Labiorum apertura quam* u pingue, *aut vestrum* oo: *sed tale fit potius,* e *quoddam ei admiscendo, ut in Germanorum* ů *&* *Belgarum* u observavi.

Circa Consonantes *penitus* mutas p, t, k, *in eo tecum non sentio, quod eas jam formatas credas, quando* Spiritus *vel* Labiis, *vel circa* Palatum anterius, *vel in* Faucibus *intercipitur: cum ego asseram, eas demum in* Spiritus *istius* explosione *perfici. In* semi mutis, b, d, g, *plane tibi consentio.*

In descriptione Semivocalium nasalium *miror industriam tuam; à nemine enim hactenus animadversum reperi, quantum* n vulgare *differat ab* n, *quando præcedit literas* g *vel* k:

cum

cum tamen eorum differentia non minor sit quam literarum t & k.

Consonantes, quas tu derivativas *appellas, non satis distinxisse mihi videris ;* ex. gr. *v ab* f & z *ab* s ; *illa enim eodem plane organorum situ pronunciantur*, & *hæc quoque : eorum autem discrimen in hoc consistit, quod dum* v *vel* z *pronunciantur*, Sonus *quidam* Vocalis *cum iis coëxtendatur. Miror, te non animadvertisse, quod vestrum* sh, (*si revera unum est cum nostro* ſch, & *Gallorum* ch) *nihil aliud sit quam* ſ *quoddam* pinguius, & *minime compositum :* Gallorumque j *cum eo eandem habere affinitatem, quam habet* z *cum* s. *Quo non animadverso, tu* j *vestrum sive* g ante e & i *minus recte descripsisti ; sunt enim revera litera ex* d & Gallorum j, *non autem ex* d & y *vestro composita.*

Qua autem probabili ratione commotus y *vestrum cum* w è *vocalium familia exterminaveris, penitus non video ; respice, quæso, eorum formandi mo-*

modum, & *attende ad Sonum*, *nihil aliud erunt quam* i & u, *rapide pronunciata: si id sufficeret*, *omnes* Vocales *possent fieri* Consonantes.

Quod de vestro j *dixi*, *idem de* ch *vestro dico*, *id nimirum esse literam non ex* t & y, *sed ex* t & *Gallorum* ch *compositam.*

Nisi ad Virum & *humanissimum* & *doctissimum scriberem*, *veniam hujus meæ parrhesiæ peterem* : *ut autem*, *quid ab edito meo Surdo loquente egerim*, *scias*, *hanc de* Loquela Dissertationem *tibi transmitto*, & *enixe precor*, *ut*, *si quid animadversione tua dignum in ea invenies*, *candide impertiri*, & *sicubi errare tibi videbor*, *amice corrigere ne dedigneris. Vale.* Vir Clariss. & *fave*

Magnæ tuæ eruditionis Veneratori sincero.

Jo. Conr. Amman.

Amstelædami
Prid. Kal. Febr. cIↃ IↃcc.

DIS-

DISSERTATIONIS DE LOQUELA

CAPUT I.

De Loquela & Voce in genere, nec non de Spiritu simplici non sonoro.

PLurimarum & quidem præstantissimarum rerum pretium, donec amittantur, vel nescitur, vel turpissime negligitur. Aurea *Libertas* quam vilis est ignavæ turbæ? Vix centesimus, dum *oculi auresque* bene valent, dignas tanto beneficio grates *Creatori* suo persolvit; *Sanitatis*, præterquam ægris, vix cura est cuiquam: Eodem se res modo habet cum *Loquela*, inæstimabili illo *Dei* dono, in quo & in-

finita *Creatoris* ſapientia, & *Creaturæ* loquentis dignitas quam maxime emicant; quod tamen, quia tam exiguo fereque nullo labore, & tantum non inſcii plerumque acquirimus, nobiſcum natum, & *Naturæ* quadam neceſſitate nobis conceſſum reputamus, eamque ob cauſam vilipendimus, donec, conſpecto uno alteroque *Surdo* & *Muto*, noſtram felicitatem ex eorum infortunio metiri diſcamus. Quam ſtupent utplurimum! quamque parum à brutis animantibus differunt! imprimis ſi Parentes & domeſticos nacti fuerint eorum negligentes, quibuſque nutibus & ſignis innatam ipſis ſocordiam expellere, & cogitandi quendam habitum inſerere cordi non eſt. At licet obtingant ipſis Parentes diligentiſſimi, quam manca eſt & mutila, quæ cum ipſis inſtituitur, per geſtus & ſigna confabulatio! intra quam paucos domeſticos & familiares reſtricta! quam parum, imo

imo vix ſuperficietenus, capiunt, quæ corporis animæque ſalutem, diſciplinas abſtractiores &c. concernunt! Quis talem eorum ſortem non miſereatur? quis eam omnibus, quibus poteſt, machinis ſublevare recuſet?

Verum graviſſimæ huic calamitati pro cumulo accedit, quod omnem reſpuere Medicinam hactenus unanimiter, quantum ſcio, fuerit credita, & propterea inſanabilium numero adſcripta: at ego, re ſerio mecum penſitata, *Mutorum* pleroſque, quamvis *Loquelæ organa* haberent ſana, tales eſſe animadverti, quod ſimul & *Surdi* eſſent; quare *Surditatem* quidem medelam admittere penitus deſperavi, de *Loquela* autem plane aliter ſenſi. *Sermo* enim *humanus*, ut cuivis eum paulo attentius mecum contemplanti patebit, eſt miſtura quædam plurimorum diverſi generis ſonorum, quorum varietas, dictante id ratione, variis

organorum quorundam motibus à me tribuebatur, quos, modo ſatis viſibiles forent, ſufficere arbitrabar, ut *Surdi* eos *oculis*, non ſecus ac cæteri *ſonos* ipſos *auribus*, diſcernerent, & ita loqui tandem diſcerent.

Primum rei periculum ipſe coram ſpeculo in me feci, eamque ſtatim & utilem & poſſibilem judicavi, non minorem videns inter motus iſtos differentiam, quam inter ſonos ipſos & characteres eos exprimentes, ex eoque tempore *Surdum* aliquem erudiendum optavi. Amici, quibus mentem aperui, quoſque, ut mihi in quærendo *Diſcipulo* operam darent, rogavi, me velut inſanum *Mathematicum* riſere, brevi tamen mutata ſententia, cum Diſcipulum illis paulo poſt & loquentem & legentem ſiſterem. Fracta igitur glacie non prius deſtiti, quam tantum negocium ad propoſitum finem perduxerim, *ſurdorumque* ſortem, divino adſpirante *Numine*, non modo red-

diderim tolerabiliorem, ſed & vulgari in eo præſtantiorem, ſicuti *exempla* teſtantur, quod alios, voce etiam maxime ſubmiſſa loquentes, intelligant, aures ſuas in oculis gerendo.

Methodi, qua id effeci, ſpecimen ante aliquot annos edidi, quo & exteri eam imitari poſſent; quod cum in *Anglia* & *Germania* factitatum cognoverim, totum loquendi artificium pandere, quæ antehac ruditer delineavi, prolixius exponere, &, ut verbo, dicam, hanc *de Loquela Diſſertationem* concinnare in proximi emolumentum decrevi; nulla enim nec invidia, nec deteſtanda lucri cupidine detineor.

Prius autem quam de *Loquela* ipſa verba faciam, operæ pretium duxi in cauſas naturales & haud improbabiles, quibus homines, in ſocietate viventes at loquendi nondum periti, moveri potuiſſent, imo debuiſſent, ad aliqualem loquendi uſum

introducendum. *Prima* quidem eſt mira commoditas & ſtupenda facilitas cogitationes quaſque *Loquela* aperiendi; ſtatuamus enim *Universi* hujus incolas loqui neſcire, at ſimul, dummodo ejuſdem nobiſcum ſint pulveris, intenſiſſimo flagrare deſiderio tam alterius cogitata ſciendi, quam alteri ſua aperiendi, vero admodum ſimile videtur, eos nihil intentatum relicturos, tandemque, quia mentis abſtruſa non niſi mediantibus ſignis ſenſu perceptibilibus in ſtatu hoc corrupto ſciri queunt, *Voce, variis Linguæ, Labiorum, &c, motibus inflexa & articulata*, uſuros. Iſti enim motus ſunt faciles, ſoni iis efformati admodum diſtincti, & licet numero pauci, eorum combinationes in indefinitum ita mutabiles, ut quicquid cogitatur, iis efferre liceat: poſſunt præterea fieri abſque alterius operis interruptione, & aliud agendo, nec non quovis tempore, dignoſcuntur ad diſtantiam non medio-

diocrem, etiam in tenebris & à cæcis: ita ut *Auditus* homini vel maxime ad *Loquelam* datus videatur.

Quot autem capita, totidem hoc modo enaſcerentur Linguæ, & per longum temporis intervallum, niſi ab uno agerentur *ſpiritu*, egregie confuſæ, nec forſan in *methodicæ Linguæ* formam redigerentur unquam. In ſequenti oratione hæc fient *maniſeſtiora*.

Verum enim vero longe alia adhuc ratio ſubeſt, ob quam homines *Loquela* potius quam *Pictura*, *Characteribus*, *Nutibus*, aliiſque hujuſmodi cordis penetralia aperire cupiant. Præterquam enim quod ſigna quævis, *viva voce* non animata, ſint utplurimum fallacia, vel ſaltem in maxime neceſſariis deficiant, cuivis ſincero animo ad ſe ipſum attendenti palam fiet, ſe, cum altero de re ſeria collocuturum, abſconditos pectoris receſſus excutere, imo propriam in eum *vitam* velle transfun-

dere, id quod non efficacius quam *loquendo* fieri poteſt; Nihil enim à nobis emanat, quod vividiorem *vitæ characterem* gerat quam *Vox* noſtra, nec præter veritatem dixerim in *Voce* habitare *Spiritum Vitæ*, per eam radios ſuos ejaculantis; eſt enim *Vox* prolis *Cordis* noſtri, affectuum & concupiſcentiæ ſedis.

Hinc impetuoſos animi motus aliquando reprimere nequimus, ſed ex *abundantia Cordis* ſæpius *os loqui* cogitur. Sic etiam quando quid nobiſcum volvimus, quod vel *metu* vel verecundia cohibiti effari dubitamus, *Cor* quaſi *parturit* & anxium eſt, donec id in amici ſinum effudimus, unde magna ſtatim tranquillitas oritur, & *Cor* non immerito nos evacuaſſe dicimus; ſic enim *vita*, quæ ſibi moleſta ſunt, per *Vocem* excernit, imprimis ſi & lacrymæ non fictæ eam comitantur. Adeo *Vox* vitæ, proxime de *Corde* ſcaturientis, plena eſt, ut diu loqui ſummopere

mopere fatiget, eos præcipue, qui *Corde* vel *non consentiente* vel *reclamante* loquuntur, & ægros, quos sæpe, cum vix tria quatuorve verba protulerunt, anima cum *Voce* simul relinquit. Ut paucis multa complectar, *Vox* est viva emanatio à spititu illo, quem *Deus* homini, cum crearet eum in *animam viventem*, in nares sufflavit.

Non est mirum itaque, si homines *Voce* & *Loquela* mentem suam aperire adeo gestiant; ii etiam qui ejus imaginem auribus nunquam perceperunt, quales sunt *Surdi nati*; rident enim, exclamant, egregie vociferantur, flent, suspirant, gemunt, animique præcipuos motus *Voce*, attendenti diversa, exprimunt, imo vix gestibus quid significant, quin inscii *Vocem* aliquam admisceant. Ita & omnium fere Nationum *exclamationes*, Grammaticisque *Interjectiones* dictæ, parum ab invicem differunt: *a* vel *ha* est præcipue gaudentis &

admirantis, *i* indignantis, *o* commiſerantis, exclamantis; ut plura alia taceam.

Hæ quidem ſunt noſtræ de *Loquelæ* inventione, ſi locum haberet, conjecturæ; at cum ejuſdem fere cum hoc *Mundo* ſit antiquitatis, *ſacris* id teſtantibus *Literis*, humanum quoddam commentum probabiliter dici non poteſt, ſed fatendum potius, eam primo *Hominum* ab æterna illo *Verbo*, cujus *imago* erat, creando fuiſſe infuſam, integram in poſteros, niſi peccaſſet, propagandam. Verum *Loquela*, qualis hodie inter homines viget, adeo à priſtina illa degeneravit, ut vix ejus umbra appellari mereatur, merumque ſit *artificium*, ſine quo, ut teſtantur *Surdi nati*, plane eſſemus muti; Quare altius originem utriuſque *Loquelæ* indagare, &, deplorando inter eas diſcrimine monſtrato, ſermonem ad poſteriorem deflectere decrevi.

Ne itaque diutius *Lectorem* morer

paucis at ingenue ipsi dicam, quicquid in hac re mihi datum est, sequentem servando ordinem. In tria summa capita *Dissertationem* hanc dividam, *Primo hoc* de *Loquela*, ejus *origine*, & *organis* in genere verba faciam, tum *Literarum* materiam, *Vocem* nimirum & *Spiritum non sonorum*, examini subjiciam. *Secundo* ipsas *Literas*, & varios eas *efformandi modos* exponam. *Tertio* denique *Surdos* erudiendi, & *Loquelæ vitia* emendandi rationem docebo.

Ut igitur divina primævæ *Loquelæ* origo evidentius appareat, *axiomata* quædam inconcussæ veritatis præmittam, quibus ex *Dei* natura evincetur, quod *Creaturæ*, ad ejus imaginem conditæ, loqui necessario debuerint, quo *Creatorem* & ex ea parte referrent. *Axiomata* hæc sunt; *Quicquid vivit, etiam juxta Leges quasdam sibi præscriptas agit & operatur*; vivere enim & non agere idem fere est quod esse & non esse: Et vicis-

vicissim, *Quicquid ab alio producitur, de causæ suæ producentis natura testatur.* *Deus* itaque T. O. M. cum sit omnis vitæ *Pater* & *Fons* perennis, quis dubitet, eum juxta naturam suam, quæ est ipsa *Veritas*, quæque ipsi loco *Legis* est, semper & constanter operari? Hæc autem divina *operatio* est ipsissima æterna *Justitia*, & universæ *Naturæ creatæ* Lex sanctissima. At quoniam fide novimus, *Mundum* hunc palpabilem non fuisse ab æterno, & tamen in *Deo* ne umbram quidem esse mutabilitatis, sequitur ejus operationem esse tam *internam*, quæ in sacris *Literis* æterna ejus *Sapientia* audit, quam externam, qua id, quod illa decrevit, omnipotente suo *Verbo* etiam extra se subsistere jubet, & appellatur *Creatio*; creare enim est *Ens ideale* quasi emancipare, & jubere ut id, quod prius cum *Creatore* unum fuit, sit proprium quid, *Legi* tamen in *creatione* sibi datæ obnoxium: sicu-

ti ex primo *Genescos* capite abunde patet.

Tandem æternum *Verbum*, producto universo *creaturarum* agmine, quæ suas quæque perfectiones sparsim habebant, se ipsum in una aliqua *Creatura*, tanquam in *speculo vivente*, manifestare, &, ut ita loquar, delineare voluit, creavitque *Adam* sive *Hominem* ad imaginem suam, eumque & *Terram* & *Maria*, & omnem eorum *exercitum* sibi subjicere jussit; Quo autem id *Imperium* rite exercere valeret, & ipse *Adam* efficaciter *jubendi facultatem* habere debebat, cujus vis in emanante quodam *verbo* consistit: quare *Deus* illum, præter innumeras alios dotes, etiam *Loquela* exornavit, qua non minimam divinæ istius *imaginis* partem referret. Imperium enim naturaliter non datur nisi in id, cum quo, qui imperat, intime & vitaliter unitur, illudque penetrat: in rerum autem natura penetratio nisi *vitalium*

Lu-

Luminum non datur ; Quare *Deus* Homini efficaces vitæ ſuæ radios in ſubjectas ſibi *creaturas* viva *voce* vibrandi facultatem dedit : ſicuti enim *Omnipotens* , dum loquitur , creat, (loquitur *Dominus*, & fit) id eſt, *Ideas* rerum creandarum enunciando *Creaturas* eſſe jubet, ita & *Homini* eaſdem in *Creatore* ſuo non cernere tantum , inque honorem ſuum *Voce*, cum rerum natura conveniente, exprimere , & ita *Cretorem* laudare, ſed & *loquendo*, quicquid ſecundum creationis ſuæ *Leges* vellet, efficere dedit.

Verum enim vero *divinus* hic loquendi *modus* , quia intimam cum *Creatore* unionem requirit, quæ in *Hominis* prævaricatione abrupta eſt, cum pluribus aliis dotibus tantum non periit, & à tot jam ſæculis vix aliquibus ita loqui datum fuit , iiſque non niſi *Viris ſanctiſſimis* , qui, ferventibus precibus *Deo* uniti, ipſas rerum *Eſſentias* vivide alloquendo mi-

miracula fecerunt, reliquosque homines amissi in *Naturam* imperii redarguerunt.

Dixit etiam *Christus*, alter ille *Adam*, recuperator ejus quod *primus* amiserat, *credenti*, sive *Deo* in fide adhærenti, nihil esse impossibile, eamque sententiam *exemplis*, à *loquendo* desumtis, illustravit. Quid omnia, quæ ipse patravit, miracula sunt, quam concessæ sibi in *Naturam* potestatis totidem testes? Quam quoties exercere voluit, *verbis*, ab *interno* illo divinoque *Verbo* emanantibus, perfecit, quæ vellet jubendo; mandatum autem quodvis *verbum* quoddam supponit, sive *internum* tantum & *spirituale*, sive *externum* & *materiale* illius *involucrum*, quod tamen *spiritu* destitutum mortuum est, nec quicquam agit. Quid *quæso* est in *Nomine JESU Dæmonia* ejicere, *morbos* sanare, *mortuos* suscitare, quam *Verba* spiritu ejus, qui est *æternum Verbum*, animata pronunciando hæc omnia

omnia efficere? Nec *emphaſi* ſua caret, quod hæc in *Nomine* potius *JESU* quam aliter fieri dicantur; *Nomen* enim eſt aliquid enunciationi peculiariter attributum.

Verum δραστικὸς hic loquendi modus, ut jam dixi, non tantum rariſſimus eſt, ſed & acerrimos habet *irriſiores*, qui, quicquid ſibi denegatum eſt, univerſæ naturæ humanæ, cujus ſe arbitros putant, pervicaciter denegant, pari ſtoliditate ac ſi *Cæci* & *Surdi nati* reliquos homines videre & audire inficiarentur, cum tamen *illis Lumen* & *Colores*, *his* autem *Soni* & *Loquela* non minus ſint *Myſterium*, quam iſtis μυστηριομάχοις, dum ſub corruptione ſunt, & integri & regenerati hominis ſtatus: Quare hæc, licet hujus noſtræ *Diſſertationis* non ſint, paulo prolixius explanavi, ut ſaltem conſtaret, unde *Loquela* primitus ſit orta, & qualis olim futura ſit in ſtatu *redintegrationis*, quando non amplius in tur-

bido rationis ſpeculo, ſed in divino *Lumine* videbimus, & à *Deo* edocti unica iterum utemur *Lingua*, & alter alterum abſque interprete intelliget.

Tranſeo itaque ad *Loquelam*, qualis poſt lapſum manſit ad noſtra usque tempora, quæ quidem, qualis qualis eſt, *Hominis* ad *Dei* imaginem creati eſt *indicium*, at ſimul lapſus argumentum triſtiſſimum; quia non ſolum adeo iners eſt, ſed & admodum imperfecta; jam enim non ex intima quadam rerum cognitione loquimur, ſed ſicuti à *Parentibus* aliiſque didicimus, ſine artificio hoc, ut poſthac docebo, *muti* penitus manſuri. Loquendi hoc artificium, ut attendenti cuivis patet, conſiſtit in concinna quam plurimorum vocabulorum combinatione, & vocabula naſcuntur ex diverſorum *Sonorum* & *Spirituum*, qui alias *Literæ* vocantur, apta & ſucceſſiva pronunciatione; quare illud ita definio:





Loquela, ſive mavis *Locutio*, eſt *actio hominis*, *qui äerem*, *tam ſonorum quam non ſonorum*, *organis quibusdam*, *quæ longo & frequenti uſu movere didicit*, *ita flectere & articulare poteſt*, *ut Voces*, *auditu prius perceptæ*, *& ope organorum iſtorum redditæ*, *eaſdem in aliis*, *quas olim in ſe*, *ideas excitent*.

Si quis velit breviorem *Loquelæ* definitionem, dico, quod *Loquela* ſit *Idearum*, *quas Voces articulatæ in nobis reliquerunt*, *per organa Loquelæ elaboratio ſive redditio.*

At quoniam in re tam ardua ſola *definitio* non ſufficit, ejus ſingulas partes *Lectori* meo ob oculos ponam, eundem quem in definitione ordinem ſervando.

Nemini mirum videatur, me *Loquelam* hic appellaſſe *actionem* ſimpliciter *humanam*, cum tamen ex *Sacris* conſtet, & *Angelos* cum hominibus ſæpius fuiſſe collocutos, eosque *Voce* ſua Creatorem celebrare;

&

& *Psitcacos*, *Picas*, *Corvos*, & id genus *aves* quotidie *hominum artificio* loquentes audiamus: Verum præterquam quod de *Humana* non autem *Angelica* hic *Loquela* agere mihi sit animus, posterior hæc non ut nostra *artificialis* sed *naturalis* dici debet; at bruta ista non nisi paucas, nec sibi intellectas *Voces* imitantur, nec ullum inter se sermonem miscere sciunt: pro in talis *Loquela* cum rei dignitate mihi non convenire videtur; qui enim, quæ loquitur, non intelligit, vix loqui dicendus est.

Organa Loquelæ ab imperitis generali nomine vel *Os* vel *Lingua* appellantur, sed male utrumque; quocunque enim sensu *Os* accipiatur, sive pro *hiatu*, qui est inter *Labia* & *Dentes*, sive pro ea, quæ pone *Dentes* est, *cavitate*, non nisi particulare erit *Locutionis instrumentum*: *Lingua*, licet Organorum omnium princeps, tantum tamen abest, quo minus sit unicum, ut, ea etiam opti-

me ſe habente, *Loquela* poſſit eſſe admodum impedita, & fere nulla, ſi *Fauces*, *Palatum*, *Labia*, & reliqua organa male ſint conſtituta: è contrario ea vel execta, vel plane otioſa, plurimas *Literas*, ut inter *Vocales* *a*, *o*, *u*, inter *Semivocales* *m*, inter *Conſonantes* *b*, *p*, *f*, *v*, *h*, recte pronunciemus: quod, ubi de ſingulis *Literis* ago, pluribus exponam.

Cum tamen *Organorum Loquelæ inſervientium* diſtincta cognitio ſummopere ſit neceſſaria, ea particulatim hic loci enarrabo: Non tamen, *Anatomicorum* more, minutias quasque ad augendum volumen vanamque redolentes oſtentationem proſequar, utpote quæ ad ſubjectum negocium plane nihil faciunt, ſed tantum eorum fabricam, qualis ad *Vocis* & *Loquelæ* perfectionem requiritur, qualisque ut plurimum apparet, depingam.

Primo ſtatim intuitu manifeſtum eſt, äerem ſonorum ſeu *Vocem*, & non

non sonorum seu *Spiritum simplicem* ad loquendum vel maxime requiri, non tamen sufficere, *surdi nati* aliique ἄλαλοι, satis plerique vocales & probe respirantes, testantur. Cum itaque *Vox* & *Loquela* pari passu non semper & ubique ambulent, dividam *Loquelæ organa* in ea, quæ *Voci* & *Spiritui* efformandis, aliaque, quæ *iisdem* articulandis, & in varias formas mutandis serviunt.

Organa quidem *Vocis* & *Spiritus* communia sunt, eaque vel *remota* vel *proxima*: Remota sunt omnia organa *respirationi*, & imprimis parti ejus, quæ expiratio dicitur, famulantia, ut sunt *Pulmones*, cum *aspera Arteria* & *Bronchiis*, *Costæ* cum interjacentibus musculis, *Diaphragma*, & plerique *Abdominis musculi*, quæ omnia in id conspirant, ut *aer*, non secus ac in *follibus* videmus, modo per *asperam Arteriam* in *vesiculosum Pulmonum viscus* trudatur, modo per eandem exprimatur, aliquando *sono-*

rus, aliquando *non:* ille *Vocis* nomine venit, hunc à ſpirando ſimpliciter *Spiritum* ſive halitum appello. Ex his rite conſideratis patet, reſpirationis organa utriuſque nec minus *Loquelæ* cauſam eſſe remotam, & ut *Scholæ* loquuntur, *ſine qua non*; licet enim aër non ſemper expiretur *Sonorus*, *Vox* tamen & *Loquela* arcte adeo cum *reſpiratione* cohærent, ut nunquam abſque ea inveniantur.

De *Spiritu ſimplici & non ſonoro* dictis nihil addo; eſt enim *aër* nullo modo affectus, qualem communiter per *Os Naresve* expirando emittimus: quare diſpiciendum, quid illum, dum expiratur, *Sonorum* reddat, ſeu, quod idem eſt, quodnam *proximum Vocis* ſit *organum*.

Nemo hactenus dubitavit, id eſſe *Laryngem* ſeu *aſperæ Arteriæ caput*, ex *cartilaginibus* quibusdam ſibi inarticulatis compoſitum, & unanimiter creditur, *Vocem* efformari aërem

per

per *Laryngis rimam*, solito plus coarctatam, expirando, exemplo desumto à *Tibiis* aliisque *instrumentis pneumaticis*, ubi aër sola *canalis*, quem transit, *angustia* sonorus fieri videtur. Verum rem aliter se habere, sunt plures & non spernendæ rationes quæ mihi persuadent.

I. In *instrumentis* illis *aër* non tam à fistulæ angustia, quam ejus aut dilaceratione, aut in motum tremulum celerrimeque undulantem coactione *sonorus* efficitur.

II. Experientia mihi constat, & cuivis idem in se experiri licet, *aërem* summo etiam conatu per *Laryngem* vel maxime *coarctatum* non reddi, nisi volentibus nobis, *sonorum*, cum alio modo expiratus parvo labore, & per *rimam Laryngis* multo patentiorem *Vocalis* fiat, quod sane juxta communem opinionem fieri haut posset.

III. Nobis multoties à *Catarrho* vocis usus plane pro tempore adimi-

tur, licet *Laryngis rimam* pro lubitu contrahere possimus.

IV, *Vox* in demortuorum *Larynge* nulla arte excitari potest, quamvis *Anatomicum* quendam non imperitum *Vocem* mangonio quodam ementitum viderim.

V. Scire percuperem, quanta *rimæ* istius *apertura* ad *Vocis* formationem requiratur, diuturna enim observatione didici, nos, dum ut vulgo solemus, loquimur, *sonum* proferre *quartâ* vel ad summum *quintâ* à gravissimo, quem cantando edere possumus, distantem, qui tamen eadem *Laryngis apertura*, qua communiter respiramus, producitur.

His ce & similibus rationibus commotus aliunde *Vocis* originem derivare tentavi. Non equidem inficias eo, *Laryngem* proximum *Vocis* esse *organum*, modus autem eam ex aëre formandi longe à priori illo diversus mihi videtur: quod ut probe intelligatur, mechanicam *Laryngis* stru-

cturam paucis dabo. Conſtat ex quinque *cartilaginibus* ſatis *ſolidis*, *glabris*, & inſigni *elatere* præditis, inque ſui medio *rimam* pro aëris & *Vocis* tranſitu relinquentibus, quæ non ſolum vinculis ligamentoſis ſibi invicem connectuntur, & mirando artificio inarticulantur, ſed & diverſis *exiguorum muſculorum* paribus, *Laryngi* propriis, quibus ob *nervos*, à pari *vago* & *intercoſtali*, ut et à *duriori nervi auditorii propagine* acceptos, maximus cum *Auribus*, *Oculis*, *Faciei* partibus fere omnibus, cum *Corde*, *Diaphragmate*, *Thorace* &c. eſt conſenſus & vitale commercium, quique, ut ex ortus & inſertionis modo patet, non niſi junctis viribus agunt, & ita, ponderibus ſuis æquilibrantibus, *Laryngis rimam* in eodem ſitu ſervant: quam tamen, non infiteor, mutarent, ſi modo hoc modo illud par ſeorſim agere poſſet. At nemo aſſerere auſit, ſibi facultatem eſſe datam, aliquod *muſculorum*

 iſto-

iſtorum par, ſive dilatationi *rimæ* ſive ejuſdem coarctationi deſtinatum, extra *loquendi actum* ſeorſim movendi, quod tamen, cum eorum actio mere ſit voluntaria, neceſſario fieri deberet.

Jam igitur ſupereſt, ut dicam, quod dum *vocem* edere cupimus, *vitalem ex corde cerebroque characterem Laryngis muſculis inſpiramus*, qui protinus in annexas *cartilagines* agunt, at quoniam eorum vis à *cartilaginum* renitentia ſuperatur, & hæc viciſſim à *muſculorum* activitate, *Oſcillatorius* quidam *tremuluſque* inde *motus* naſcitur, qui *äeri* ſimul expirato impreſſus & eodem tempore *pectoris* imo *& capitis oſſibus* communicatus, eum *ſonorum* reddit: Haud ſecus ac tremulus *ſcyphi vitrei* motus, marginem ejus madido digito fricando excitatus, in aëre vicino *ſoni*, elegantis autem in aqua contenta undulationis cauſa eſt: Eodem modo *ſonus* excitabitur in *aſſere* lævigato, digitum

gitum madentem ita ei affricando, ut ſubſultim incedat; *aër* enim reciproco *compreſſionis* & *reſilitionis* motu univerſas aſſeris partes, ut & *aërem* eis incluſum, in *motum tremulum* adigit, qui in nobis ſonum excitat, ſecus ac fit digitum ſimpliciter affricando: Tale quid deprehenditur in pluribus *Inſectis* volatilibus, imprimis *muſcis* majoribus, quæ *ſuſurrum* notabilem non tam *alarum*, (eis enim abſciſſis adhuc perſeverat) quam *muſculorum* in pectoris cavo latitantium celerrimo& quaſi *oſcillatorio* motu excitant. Motus hujusmodi bina in nobis ipſis exempla obſervare licet, in *Lingua* unum, dum *literam r* pronunciamus, alterum in *labiis*, dum ad demulcendos *infantes* iis ſuſurramus. Ita ut decantata illa *rima voci* tantum jam elaboratæ *graviori* aut *acutiori* reddendæ inſerviat, ſicuti in ſequentibus audiemus.

Ex his ſimul ſponte patet, quænam *Vocem* inter & *aërem non ſonorum* dif-

differentia intercedat, quæ tanti eſt momenti, ut, ſi ignoretur, *Surdi* quam plurimi clara *voce* loqui nunquam diſcant; neſcirent enim, quid illa *oris* in varias figuras diſtorſio ſibi vellet, niſi *Laryngis tremor* palpandus iis exhiberetur. Omnes etiam homines, licet ratio eos ut plurimum lateat, bifariam loqui didicere; cum enim à quolibet, non nimis remoto exaudiri volunt, utuntur *voce*, & aërem inter expirandum in *Larynge* ſonorum reddunt: at cum clam quid alteri in aurem dicunt, ne *tremorem* iſtum in *Larynge* excitent, cavent, & aërem, *ab organis loquelæ* varie quidem modificatum, at non *ſonorum* proferunt.

Hactenus tam *Vocis* quam *Spiritus non ſonori* officinam perluſtravi, jam ordo requireret, ut & organa, quæ hunc & illam in varias effingunt formas, deſcribam: at non incongruum duxi, quorundam *Vocis* phænomenωn prius rationem ex *hypotheſi* mea reddere.

Cur

Cur abſciſſa aſpera arteria infra *Laryngem*, aut ligatis, obſtructis, diſſectisve *Laryngis* nervis, *Vocis* uſus amittatur, nemo non ex modo dictis videbit: at quomodo à *Catarrho*, *Variolis*, *Febribus ardentibus*, *intenſa vociferatione &c.* raucedo & interdum plena ἀφωνία oriatur, non ita patet: In omnibus his caſibus *Laryngis cartilagines*, quæ modice ſiccæ, ſolidæ, læves, deque corporum *reſonantium* natura eſſe debent, tenaci *muco*, ex irritatis earum glandulis copioſius ſudante, oblinuntur, unde *elaterem* ſuum amittunt; Idem cernimus in *Campanis* panno involutis, ut & in *Tibiis* aliiſque pneumaticis inſtrumentis, quando ab aëre halituoſo nimis humectantur.

Porro inquirendum, quid *Vocem gravem* reddat *acutamve*. Dupplex hujus phænomeni ratio eſt; ſi enim *Vox* unius comparetur voci alterius, dum uterque familiari ſibi ſono loquuntur, dicendum, id provenire

à diverſa Cartilaginum gutturalium magnitudine & craſſitie ; nam quo ſunt ampliores , eo vibrationes earum, cum tremunt , ſunt majores at tardiores , hinc *Vox gravior*, & contra. At ſi quæratur, quo artificio idem homo *vocem* modo *gravem* modo *acutam* edat ? reſp. *Laryngem* habere muſculos cum aliis quoque partibus , ut *oſſe ſterni*, *hyoide* &c. communes, quorum ope vel attolli, ejus que rima coarctari, vel deprimi , eademque rima dilatari poteſt : Vox itaque ob rationem, in priori caſu allatam , per anguſtam rimam acuta , per patulam autem gravis redditur ; & in hoc totum cantandi artificium conſiſtit : verum *ſonus* ille, qui κατ᾽ ἐξοχὴν *tremulus* dicitur, muſculorum *Laryngem* attollentium & deprimentium *citiſſimæ reciprocationi* debetur.

Hinc & alia naſcitur quæſtio , cur *Vox* nos tandem deficiat, eam *juſto acutiorem* aut *graviorem* reddere volen-

lentes: id fit præcipue, quia *Larynx* tanto conatu vel attollitur, vel deprimitur, quantum musculi ejus proprii superare nequeunt; & conatus iste insignem in *Gutture* dolorem excitat.

Vocem circa *pubertatis* annos alterari, id est, inæqualem, duram, & quasi scabram fieri, cuivis notum est: at si ratio petatur, dicendum, non solum ob genitalium cum *vocis organis* consensum *Laryngis* cartilagines & musculos robustiores & ampliores fieri, præsertim in maribus, sed & reliqua ossa, ob vigentem magis calorem, tum robur suum justamque duritiem adipisci, unde *Vox* demum fit firma & matura; non solus enim *Larynx* tremere debet, sed omnia fere totius corporis ossa, quod quilibet, manu dorso, pectori, verticive admota, in se facile deprehendet: at *mares*, quibus *Larynx* & ossium moles non nisi leviter alteratur, *fœmineam* semper *vocem* habebunt.

Hinc

Hinc etiam patet, quomodo pueros & fœminas adultiores voce fere ſemper, quamvis eam æque acutam edant, ab invicem dignoſcamus; cum enim illorum oſſa ob mollitiem parum reſiliant, vocem habent, hebetiorem.

Quo pacto iis, qui ante pubertatem caſtrati fuerunt, vox glabra & acuta maneat, cum ratio in promtu ſit, dicere ſuperſedeo. Jam videndum, ob quam cauſam *vox* aliquando ab una *Octava* in aliam ſubito tranſiliat etiam nolentibus, &, ut vulgo bene loquuntur, *frangatur*. Duo hic notanda, quando id fiat, & quo modo; accidit id quidem cuivis *vocem* nimis intendenti, imprimis autem *Concionatoribus*, poſtquam ad ravim uſque *Stentorem* egerunt: at quomodo id contingat, *Tibiæ* nos & *Chordæ* docent, quando nimirum obſtaculum aliquod *ſonum ordinarium* in duo dirimit; ſi enim partes ſunt æquales, ſonus uterque octa-

octava est acutior priori, nec ab invicem distinguuntur; at si sunt inæquales, *duo diversi soni* eduntur simul, quorum alter altero est gravior: & hoc appellatur *vox fracta*.

Id quo familiares nostros, quamvis eos dum loquuntur non videamus, dignoscimus, non sola *vox* est, qualis in *Larynge* efformatur, sed quatenus ea à *reliquis Loquelæ organis* diversimode in *literas* convertitur; pluribus enim eandem literam pronunciantibus aliquod erit discrimen. Pauca denique addam de modo, quo sæpius *inscii* imo *inviti* in magnam *vocem* erumpimus, cum *ridemus*, *ejulamus*, *gemimus* &c. Dici quidem vere potest, universam nostram vitam ita esse constitutam, ut insigniter vel læsa, vel jucunde affecta, *voce* id testari debeat: verum & alia dari causa potest, nimirum ille jam dictus *Laryngis* cum *Auribus*, *Oculis*, *Facie*, & imprimis etiam *Corde* per

nervos consensus; quam primum enim *Spiritus*, nervorum istorum incolæ, vehementer hoc illove modo agitantur, in consensum rapitur *Larynx* cum *partibus* vicinis, & sic varii generis soni excitantur, qui peculiarem quandam linguam constituunt, quam omnes gentes, nec *Surdis* exceptis, & loquuntur & intelligunt, quæque, licet partem nostri mere sensitivam spectet, nobis pro indicio est, qualis fuerit naturalis illa & universalis lingua, quam, carnales facti, una cum mentali cognitione fere amisimus.

Redeo tandem ad *organa*, *Loquelæ peculiariter consecrata*, quæque *Vocem* & *Spiritum*, sermonis materiam, varia *literarum forma* induunt. Ea vel *passiva* tantum sunt, vel *activa*: *Passiva* sunt *duo meatus*, per quorum alterutrum aër, sive sonorus sive non sonorus, foras prorumpere cogitur; in faucibus enim quasi in bivio collocatus est, &, nisi quid impediat,

tam

tam per *nares* quam per *os* prodiret. *Meatuum* horum præcipuus est *oris interior cavitas*; ab imis faucibus ad dentes usque extensa, *linguam* & *palatum* pro limitibus habens, quo pertinet hiatus labiis dentibusque terminatus, ut & *dentium interstitia*. Alter est *narium in fauces apertura*, qua *vox* & *spiritus*, nisi lingua labiave obicem iis ponant, egreditur. *Meatus* hi ita debent esse conformati, ut aperto uno alter exacte claudi possit, & vicissim uno clauso alter satis sit pervius.

Organa Loquelæ activa sunt, quæ *vocem spiritumque* modo per hunc modo per illum *meatum*, varie conformatum prodire determinant. Ea sunt *Lingua* cum *Osse hyoide*, *Uvula*, *Maxillæ* cum infixis *dentibus* & *Labiis*. *Lingua* est pars corporis humani, non *Loquelæ* tantum, sed pluribus usibus ut gustationi, ciborum masticandorum distributioni, & masticatorum deglutitioni inserviens.

Pars ejus *posterior* cum osse hyoide & *Larynge* arcte connectitur, pars *inferior* cum suis musculis & fræno quodam, *de Tong-riem* dicto, at reliqua pars inferior cum lateribus & tota *superficie*, quæ *palatum* respicit, plane libera suique juris est, nec absque insigni *Loquelæ* depravatione impedita esse potest. Substantia *Linguæ* maximam partem composita est ex omnis generis *motricibus fibris*, miro artificio decussatim sibi telæ instar implicitis, & præterea aliquot *musculorum* paria habet propria, quædam cum *osse hyoide*, quod ipsi pro fulcro est, communia; quibus *extendi* & *retrahi*, *attolli* & *deprimi*, *dilatari* & *contrahi*, *in gibbum* incurvari, *palato dentibusque* fortiter *applicari*, & subito *relaxari*, tandem in *motum oscillatorium* adigi potest: hisce diversis suis motibus *vocem* & *spiritum* vel per *Nares* vel per *Os*, vel *pleno alveo* vel *exili radio*, vel *continuo filo* vel momentanea cum *explosione*,

ſione, ſive inter *ipſam* & *palatum*, ſive inter *latera ipſius* & *genas*, ſive denique inter *dentes* exire determinat.

Os ob figuram ſuam, qua *Græcorum* U refert, *Hyoides* dictum, eſt linguæ baſis, & aliquot muſculorum paribus originem dat, qui *Linguæ* & *Laryngis* motui ſerviunt; ejus tamen uſus adhuc quidam eſt peculiaris, nimirum *Laryngem*, lingua in ſocietatem pertracta, attollere, eumque cum annexa *aſpera arteria* elongando arctiorem reddere, & ita *vocem acuere*: dum autem ope *muſculorum* ab *oſſe ſterni* venientium deprimitur, eidem *Laryngi* & *aſperæ arteriæ* graviter incumbendo utrumque breviorem at ſimul patentiorem, & ſic *vocem graviorem* efficit. Quoties enim *vocem* mutamus, *Laryngem* vel attollimus vel deprimimus, & donec id facere licet, *vocem graviorem* aut *acutiorem* reddere poſſumus; quod quilibet, *Vocem ſuam* ex gravi *acu-*

tam, & viciſſim ex *acuta* per gradus *gravem* faciendo, manu gutturi admota deprehendet. Ob hanc cauſam *Muſici* nonnulli *voce* & *puerili* & egregie *maſcula* eadem facilitate canunt.

Uvula eſt *caruncula* quædam laxa & *glanduloſa*, in medio *palati* fornice de *membrana* quadam *mobili* ſuſpenſa, quæ, quantum quidem *Loquelæ* inſervit, una cum modo dicta membrana *vocis*, in *faucium bivio* conſtitutæ, per *nares* eruptionem moderatur; quum enim *Vocem ſpiritumve* per os tantum emittere cupimus, quod imprimis fit in pronunciatione *Literarum*, quas in ſequenti Capite *exploſivas* appellabo, *meatum narium* ea tanquam *valvula* claudimus: ſi autem vel deficiat, vel *narium* in fauces *hiatum* nimis amplum obturare nequeat, *Literæ p*, *t*, *k*, per nares ſummo cum dedecore pronunciantur. Hæc forſan præcipua, ſi non ſola, ratio eſt, cur *bruta animantia*

mantia hac particula careant.

Maxillæ cum infixis *Dentibus* & *Labiorum vallo* id agunt, ut *oris hiatum* pro rei necessitate claudant aut aperiant, *Vocemque* & *Spiritum* magis minusve stringendo & acuendo in varias *literas* efforment. Eam ob rem infantes, antequam *dentes*, saltem *incisorios*, habeant, plures *literas* pronunciare nesciunt, & *edentuli Senes* literas *s*, *f*, *i* admodum hebetes & obtusas efferunt.

Data opera omnes has partes non nisi rudiori penicillo delineavi, quia instituti mei ratio accuratiorem earum cognitionem non requirit, & quoniam à plurimis *Anatomicis* satis exacte descriptæ sunt, ita ut de earum *structura* nihil habeam peculiare, quod addam; Verum de *usu* quædam, ab aliis non animadversa, disserere cogebar.

Quod antem in *Loquelæ definitione* de motu organorum ejus, *longo & frequenti usu addiscendo*, dixi, non

in eam partem velim accipi, ac ſi motus iſte, qnatenus motus eſt, deberetur artificio, ſed ſolummodo quatenus eo *vox humana* articulatur; ſenſu enim priori *motus* iſtarum partium eſt *naturalis*, & tantum non nobiſcum natus, ſecus ac poſteriori. Non ſolum omnes naſcimur ἄλαλοι ſive abſque *Loquela*, ſed & nemo ſibi ipſe loquendi *Magiſter* eſt, cum tamen pleræque artes ſuos habeant αὐτοδιδασκάλους: Ita ut, ſi quæ alia, certe *Loquela* pro arte ſit habenda, nec male definiretur *Ars loquendi*.

Nec contra me eſt, quod naſcatur nobiſcum deſiderium quoddam cogitationes, imprimis animi affectus *voce* exprimendi, quod & in *Surdis* & *Mutis* jam animadvertimus: maximum tamen inter ſonos iſtos inconditos & *Vocem* revera *humanam*, pro *Loquela* requiſitam, eſt diſcrimen; Illi enim omnibus, etiam *Mutis*, ſunt communes, hæc autem reliquarum inſtar artium addiſcitur.

Non

Non tamen nego, uti ſupra jam innui, quod ſi homines, non quidem *Surdi*, at qui loqui nunquam didicerunt, una degerent, ipſos inter ſe linguam quandam novam eſſe condituros, verum ob tres rationes valde imperfectam.

I. Quia nullam literarum habent cognitionem, & organorum *Loquelæ* uſum plane ignorant, proin ſonos alter alteri aut inimitabiles, aut ſaltem non intellectos ederent; genuina enim *literarum pronunciatio* non ſecus *Creationis* donum fuit ac *Loquela* ipſa, ſuntque unica amiſſæ *Linguæ naturalis* rudera, quæ memoriæ adhuc infixa manſere.

II, Quia vix unquam in re aliqua denominanda conſentire poſſent, non enim ſe invicem intelligerent.

III. Cogitationes abſtractiores, quamvis in rebus ſenſibus obviis conſentire potuiſſent, ſibi invicem aperire nequirent. Conderent itaque *linguam* aliquanto perfectiorem,

quam est brutorum quorundam, quæ diversis *sonis* sibi invicem aliquid significant: sicuti videmus *Gallos gallinaceos Gallinas* suas, has autem *pullos* suos *voce* congregare, *suem*, in discrimine existentem, totum gregem in auxilium vocare, *canes*, *feles* & *serpentes* iram & vindictam, illos *roncho*, hos *sibilo* quodam testari. At homines, diversam quisque linguam loquentes, si in societate ipsis foret vivendum, linguam ex omnibus mixtam conderent, cujus rei veritatem plurimæ modernæ *Linguæ*, ut *Anglica*, *Gallica* &c. adstruunt.

Quam primum nascimur, plurima externa objecta novos mundi hospites invadunt, suasqne in nos vires per varios motus exerunt, qui absentibus objectis, non ita pereunt, quin singula sui vestigia seu *ideas* in nobis relinquant, multarum postea & *cogitationum* & *actionum* principia seu elementa; non enim otiosa manent, sed veluti *seminia* quædam,

dum-

dummodo terram bonam & laudabilem nanciſcantur, ad maturitatem & perfectionem tendunt.

Inter innumera iſta objecta ſunt varii generis *ſoni* & *voces articulatæ*, quæ, imprimis cum affectu prolatæ, efficaciter in nos agunt, & niſi auribus ſimus capti, loquendi facultatem ob inſignem aurium cum *Vocis* organis conſenſum, pedetentim excitant; ſtatim enim ac *vocis* alicujus ſignificationem didicimus, quod ſemper prius contingit, quam ipſi loqui ſciamus, ejus *idea* non minus efficaciter etiam in ea *organa* operatur, per quæ ab aliis ad nos erat delata; hinc eam, ſæpius tentando, ſtudemus imitari, donec ejus cum primitiva ſimilitudinem læti animrdvertamus: & ſic ſenſim *linguam* noſtram *vernaculam* loqui diſcimus.

Qui autem, veluti per *parentheſin* hæc dicam, vel *ſurdi* ſunt, vel admodum *ſtupidi*, vel extra hominum conſortium educati, vel, quod raro

ro contingit, qui *vocum ideas*, rite quidem perceptas & intellectas, *Loquelæ* organis bene ſe habentibus, elaborare nequeunt, vel qui organa *Loquelæ* plane habent inepta, artem loquendi haud diſcent unquam.

Hinc patet *quatuor* vel *quinque Mutorum* genera eſſe poſſe. *Surdi nati*, & qui inter *bruta* adoleverunt, ejusdem ſunt conditiois; cum enim *Vocis humanæ ideas* auditu nunquam perceperint, multo minus eas reddere poterunt, ideoque muti erunt.

Qui tantæ ſunt animi hebetudinis, ut alios loquentes non poſſint intelligere, eandem ob rationem nunquam loquentur.

Cur iis, quibus organa *Loquelæ* admodum vitioſa ſunt, articulate non loquantur, ex ſupra dictis manifeſtum eſt.

At qui loquentes alios intelligunt, & organis bene conformatis loqui nequeunt, ſunt rara avis, nec niſi

duos

duos aut tres mihi videre contigit: Ex inde didici, tam arctum inter *Auditus* & *Loquelæ* organa nexum non ſemper eſſe, quin magnus aliquando intercedat hiatus. Tale quid comperimus in nonnullis, qui *ſonos harmonicos* & eorum intervalla auribus probe diſtinguere norunt, eos autem in *Larynge* efformare nec ſciunt, nec unquam ediſcere valent.

Errant igitur, qui *infantes* ſibi relictos, aut inter bruta enutritos, *Linguam* quandam, quæ *primæva* ipſis audit, locuturos putant; Non enim ratio reddi poteſt, cur hanc præ illa loqui debeant, cum neutram auribus acceperint. Proin *Chriſtus Jeſus*, benedictus ille corruptionis noſtræ *Reſtaurator*, *ſurdos* illos *Matth*. 9. & 12. & *Marc*. 7. ſanando, geminum perpetravit miraculum, non enim *audire* tantum ipſos fecit, ſed & alios protinus intelligere, & cogitationes per *organa Loquelæ* articulate proferre:

re: Namque licet *Surdo nato* vel *arte* vel *miraculo* ſolus redderetur *auditus*, infante recens nato non eſſet loquacior, ſed *Lingua* demum aliqua ipſi foret addiſcenda; Hinc ſæpius riſum mihi movent inſulſa quorundam judicia, qui, *Loquelam* me *ſurdis* cum potiuncula medicinali infundere credentes, *Soſtrum* aut potius *Didactrum* nimium me petere queruntur, cum tamen labor immenſus & incredibilis per annum plus minus in *Surdo* aliquo erudiendo mihi ſit ferendus: & licet artificium meum cum miraculis nihil habeat commune, patientia, ad praxin ejus requiſita, tantum non miraculoſa eſt.

Apparet etiam vel maxime, *loquendi artem* non adeo facile & abſque longo uſu addiſci, nedum naturalem eſſe, ſi quis *Linguæ* peregrinæ det operam; multos enim aliquando annos prius teret, quam ſingulas ejus *literas* rite pronunciet, quum tamen *Lingua* ſibi *vernacula* eaſdem ut pluri-

plurimum habeat, at quæ paulo aliter pronunciantur. *Galli*, *Angli*, & *Itali* vix unquam *Belgarum g* aut *ch*, *Helvetiorumve k* bene proferent; *Belgæ Germanorum ſch* aut *Gallorum ch* aut *j* raro aſſequuntur; *Anglorum th* reliquis nationibus fere inimitabile eſt; *Abyſſinorum* & *Caffrorum* pronunciatio magnum exteris negocium parit. Quid ſi nobis, & audire & loqui diu jam aſſuetis, *literæ* alicujus *peregrinæ* pronunciatio adeo eſt difficilis, quanto difficilior erit *Surdis* & *Mutis*, ſublata etiam ſurditate?

Dixi tandem in *Loquelæ* definitione, ad eam requiri, ut *Voces* ita reddantur, ut in aliis ſimiles archetypo *ideas* excitare valeant: quod ſummopere eſt neceſſarium, & ſine quo *Loquela* eſſet valde imperfecta & quaſi nulla; ſunt enim qui adeo male loquuntur, ut aliis barbari ſint, vitium autem iſtud in ſe minime animadvertant.

Corol-

Corollarii loco geminam adhuc de *Loquela quæstionem*, quamvis non adeo hujus loci ſit, explicare conabor, tenuitatis tamen meæ conſcius, ſolidioribus judiciis ſententiam lubens ſubmitto. Quæritur ergo, undenam & quomodo tanta *Linguarum* diverſitas nata ſit, & quomodo miraculoſum iſtud donum, *variis Linguis loquendi*, die *Pentecoſtes* ſuper *Apoſtolos* effuſum, ſit intelligendum.

Priorem quæſtionis partem quod attinet, ita ſentio. Cum Homines etiam poſt lapſum locuti ſint, & adhuc dum loquantur, non tamen, ut jam audivimus, ex naturæ quadam neceſſitate, ſed ex memoriæ potius ſcrinio, & *Loquela* ab aliis, *artis* inſtar, ipſis ſit addiſcenda, ex *Dei attributis* neceſſario ſequi mihi videtur, eum, cum creaſſet *Adam* ad imaginem ſuam, creaſſe talem, ut ſpiritus ejus, cum *Plaſte* ſuo unitus, non ſolum rerum intima inſpiciendo

ciendo cognoſcere, ſed etiam præſentes ſibi earum *ideas* voce rebus conveniente exprimere poſſet, cujus ſpecimen dedit *Uxori* & *animantibus* nomina imponendo: Verum, *mentalis hæç Lingua* in ejus prævaricatione fere obliterata, nec niſi in *Fidelibus* quibuſdam ex parte reſuſcitata nonnunquam fuit, qui, *ſpiritu* ſuo liberorum ſuorum *ſpiritum* aliarumque rerum penetralia intuendo, nomina ipſis congruentia impoſuere. At reliqui poſteri *Adam*, qui *Deum* ſuum magis magisque reliquerunt, & *Spiritum* ſuum carnalibus cogitationibus penitus obnubilarunt, veras quoque rerum *ideas*, cum iiſque *Linguam* illam *primævam* amiſerunt, ut non amplius ex *animo* illuminato, ſed ex *carnis* affectibus, ſive *tenebris*, loquerentur. Quam primum ergo periit vera ſcientia, in ejus locum natæ ſunt variæ *opiniones*, & *ideæ* per cæca ratiocinia elicitæ; pro quarum diverſitate peculiaria

quisque rebus nomina indidit, ut tandem, imprimis cum opinionum suarum idola alter alteri obtrudere contendebant, se mutuo amplius intelligere nec vellent nec possent. Id quod & hodie adhuc dum contingit; Vix enim in universo terrarum orbe pagus est, quin peculiaria quædam habeat vocabula, alibi non intellecta: testantur id etiam nomina ridicula, quæ quotidie ex lascivientis *phantasiæ* penu finguntur. Si quis variarum gentium *Linguas* ad examen revocet, plerasque res non solum plane diversis exprimi vocabulis, sed & istarum constructiones, modumque cogitata iis exprimendi plurimum differre animadvertet.

Ad *posteriorem* quæstionis partem sic respondeo: Mentes *Apostolorum*, operante *Divina* illa *Flamma*, fuisse apertas, & adeo illuminatas, ut *Dei magnalia* & ipsi intelligerent, & intellecta *voce tantis rebus congrua* efferrent: Vixque credo, nec *Textus* id

id evincit, eos vel ſingulos vel univerſos omnium, quæ aderant, gentium idiomatis fuiſſe locutos: Verum *Fideles*, talia audire cupidos, eorum verba, multa *charitate* animata, veluti divina *Seminia*, cordibus ſuis tanquam bene cultis agris excepiſſe, & miram eorum dulcedinem avidos deguſtaſſe, cum reliqui, aures ad audiendum non habentes, *Apoſtolos* pro deliris vinoque temulentis haberent, nedum intelligerent; tales enim nec *Chriſtum Jeſum*, veritatis & charitatis fontem, intelligent, licet ipſum concionantem audiant. Quanta inter *audientes* eſt differentia, tanta eſt etiam inter *loquentes*; nam ſermo quorundam fere ſemper iners eſt & inefficax, aliorum ſcopum ſuum fere nunquam non attingit: multum quippe intereſt, num quis ex intimis cordis ſui penetralibus verba viva & animata proferat, num vero ex conſuetudine tantum, de quibus ipſe dubitet, & quorum

veritatem ipſe ſecum non ſentiat, loquatur.

CAPUT II.

Literarum naturam, & varioseas formandi modos exponit.

HActenus de *Loquelæ* ſubjecto generaliori, *Voce* nimirum & *Spiritu*, & utriuſque formandi ratione, & ſcitu ſummopere neceſſaria diffetentia: inquirendum jam, quo pacto dicta *Vox* & *Spiritus*, ceu apta materia, in has illasve *literas* fingantur; Unica enim *literarum materia Vox* eſt & *Spiritus*, *forma* autem earum, ab organorum & meatuum, per quos tranſeunt, diverſa configuratione petenda eſt. *Literæ* igitur, non qua ſunt *Characteres* quidam calamo picti, ſed quatenus enunciantur, ſunt

Vox vel Spiritus, vel utrumque ſimul, diverſimode ab organis Loquelæ deſtinatis configurata.

Literarum poſſibilium numerus vix definiri poteſt, tot enim eſſe poſſent, quot diverſis modis *Vox* & *Spiritus* ab organis *Loquelæ* figurari queunt: Præterea plures *literæ* ſuam habent *latitudinem*, & veluti *gradus* quosdam, idemque *Character*, etiam in eadem Lingua, non una eademque oris configuratione pronunciatur, ſic [*a* & *e aperta* quandaque audiunt, quandoque *clauſa*, habet & *o* cum *i* ſuam latitudinem &c. Hæc autem differentia, ſi variæ *Linguæ* invicem comparentur, majoris longe eſt momenti, & præcipua cauſa, quod peregrinas *Linguas* tam difficulter pronunciare diſcamus, antequam organa noſtra ad inſolitum aliquem motum flectere poſſumus. Hæc obſervatio in *Surdorum* informatione plus habet utilitatis, quam qūis forte credat.

Videmus etiam plures homines omnium fere *animalium voces* imitari aptos natos, quæ ſane pleræque

ex literis, quibus *Alphabeta* noſtra carent, compoſitæ ſunt. Non obſtante autem hac *literarum* poſſibilium copia, ab omnibus *Gentibus* quaſi communi conſenſu, quod revera altiorem earum originem innuit, non niſi facillimæ, ſimpliciſſimæ, cumque decenti organorum ſitu enunciabiles receptæ, & certis pro lubitu *characteribus* annexæ ſunt, quorum numerus vigeſimum quartum vix unquam ſuperat: hi autem *characteres* non eodem modo ubique terrarum pronunciantur, imo eadem *litera* eidem populo diverſimode aliliquando ſonat.

Verum enim vero Gens una in exprimendis *literarum* ſuarum *ſignis* multo ingenioſior fuit altera: modus *literas* deſignandi perfectiſſimus, & cum rei natura maxime congruus eſt, ſi *literæ* ſimplices ſimplicia quoque ſigna habeant, & viciſſim hæc ſimplices deſignent *literas*. Hac in re *Germani* reliquis nationibus palmam

mam facile præripiunt; illorum enim *characteres* idem ubique sonant, nisi quod multoties utantur *h* otioso, ad præcedentem *Vocalem* producendam; *Vocales* eorum sunt admodum simplices, & earum naturæ mire convenientes, *Diphthongi* inde compositæ componentium *Vocalium* vim retinent, quippe in eis audiuntur, secus ac fit in plerisque *Linguis*, quas vivas appellant; pro simplicissimis enim *Vocalibus* Diphthongos aliquando scriptas habent, ut *au*, *ou*, *ai*, *Gallorum*, *oe*, *eu*, *Batavorum*; vel *Diphthongis* adeo impropriis utuntur, ut componentium *Vocalium* vix alterutra audiatur, qualis est *Gallorum oi*, *Batavorum uy*, ut plura exempla taceam; vel tam varie pro loci varietate pronunciantur, ut si *Surdus* aliquis *Anglus* vel *Gallus* mihi docendus esset, non *Gallicas* eum *literas*, sed *Germanicas* ab initio docerem, alioquin plane confunderetur. Nec *Consonantium* mul-

to melior ſors eſt, tamque diſcrepans eſt quarundam pronunciatio, ut vix duæ ſint *Gentes*, quæ *characterem g* eodem modo efferant. Audivi Gentem quandam *Americanam* literis *b*, *p*, *m*, & *f* plane carare, forte ob annulos, quos in *labiis* perforatis geſtant: ita & *literam r* in *Sinenſium* lingua deſiderari, hiſtoriæ tradunt.

In *Surdo meo loquente* literas, ſicuti à *Germanis* pronunciantur, deſcripſi, verum ut & exteris facilius intelligar, linguas quæ in *Europa* tam *Occidentali* quam *Septentrionali* in uſu ſunt, cum *Germanica* mihi vernacula hic comparabo. Omnes harum linguarum literæ, præter communem in *Vocales*, *Semivocales* & *Conſonantes* diviſionem, *Hebræorum* more, dividi poſſent in *Labiales*, *Dentales*, *Linguales* & *Gutturales*, ego tamen adderem *Naſales*: verum quoniam *Lingua* tot *Literarum* pronunciationi inſervit, *Linguales* cum re-

liquis

* Tabula literalis Synoptica.

Literæ omnes ſunt

- vel
  - **Vocales**, quæ voce clara & minime impedita pronunciantur, & hæ
    - vel
      - **Simplices**, & abſque ulla cum aliis miſcela, qualis eſt
        - **Gutturalis** *a*, & Gallorum *e* in voce *entendre*.
        - **Dentales** *e*, *i*, *j*, *y*, & Anglorum *ee* nec non *eo* in voce *people*.
        - **Labiales**, *o*, *u*, ſeu *w*, quæ poſterior convenit cum Belgarum *oe*, & Gallorum *ou*.
      - **Mixtæ**, idque
        - vel ex
          - **Gutturali & Dentali**, ut Germanorum ä, Anglorum *aa* in *aal*, Gallorum *ai* in *aigu*.
          - **Dentali & Labiali**, ut Germanorum ö & ü, quibus reſpondent Belgarum & Gallorum *eu* & *u*, Angl. & Ital. iis carent.
  - **Semivocales**, quæ quidem cum ſono vocali, at aliquatenus impedito pronunciantur, idque
    - vel per
      - **Nares**, quæ pro oris, ubi formantur regione, ſunt
        - vel
          - **Labio-nasalis**, ut *m*.
          - **Dente-nasalis**, ut *n*.
          - **Gutture-nasalis**, ut *n* ante *g* vel *k*.
      - **Os**, adjuvante inprimis Lingua, quæ eas formando
        - vel
          - **Tremit**, ut in *r*.
          - **Non**, ut in *l*.
  - **Consonantes**, quarum vis non tam in ſono quodam, quam varia ſpiritus non ſonori configuratione conſiſtit, & ſunt
    - vel
      - **Simplices**, hæque
        - vel
          - **Sibilantes**, quæ pro lubitu produci & corripi poſſunt, hæ iterum ſunt
            - vel
              - **Simpliciter Tales**, quæ formantur
                - vel
                  - in **Gutture**, ut *h*, Germanor. & Belg. *ch*, Hiſpan. *g* in *mugere*.
                  - inter **Dentes**, ut *s*, Germ. *ſch*, Gall. *ch*, & *g* ante *e* vel *i*.
                  - à **Labio Infer. & Dentib. Superior.** ut *f* & *ph*.
              - **Cum sono quodam coextenso** pronunciantur, formantur & hæ
                - vel
                  - in **Gutture**, ut Belgar. & Germanor. quorund. *g*.
                  - inter **Dentes**, ut Gallor. & Belgar. *z* & Gallorum *j*.
                  - à **Labio infer. & Dentib. superior.** ut *v*.
          - **Explosivæ**, quæ uno ictu exploduntur, ſuntque
            - vel
              - **Penitus Mutæ**, quæ formantur,
                - vel
                  - in **Gutture**, ut *k*, *q* & *c* ante *a*, *o*, *u*.
                  - circa **Dentes**, ut *t*.
                  - prope **Labia**, ut *p*.
              - **Cum levi sono**, ad mitigandam aſperitatem, incipiunt, formantur
                - vel
                  - in **Gutture** ut Gallorum & Anglor. *g* ante *a*,*o*,*u*, ut & plerorumque Germ.
                  - circa **Dentes**, ut *d*, & ni fallor, Anglor. *th*.
                  - prope **Labia**, ut *b*.
      - **Duplices**, hæ ſunt compoſitæ ex duabus
        - vel
          - **Plane Mutis**, ut German. *x* & *z* nec non *c* ante *e* vel *i*: Angl. *ch*, Ital. *c* ante *e* vel *i*.
          - **Leviter Sonoris**, ut Anglor. & Italor. *j* & *g* ante *e* vel *i*.

liquis, præcipue *Gutturalibus* aliquibus, facile confunderentur ; quare consultius duxi, quamlibet *literarum* classem juxta tres oris regiones, ubi formantur, dividere, additis simul formationis *organo* & *modo*, easque naturali quodam ordine *Tabula hac Synoptica* exhibere, cum pronunciationis varietate. *

Ordo hic est simplicissimus & maxime naturalis, in quem *Literas* quascunque redigere potui, isque multo videbitur justior *auribus* quam *oculis* judicibus; absurdum enim cui videri posset, me hic *Diphthongos ou*, *eu*, *æ*, in *Vocalium* familiam adoptasse, ex *Consonantibus j* & *w* Vocales fecisse, duas tresve *Consonantes* ut *ch* & *sch* pro una sumsisse, aliasque denique, *simplices* creditas, ex simplicium numero exemisse, ut *c* ante *e* & *i* &c. Verum facile confido, æquum *Lectorem* non tam mihi quam *Linguæ* suæ anomaliæ id imputaturum, si literarum naturam

æqua lance trutinaverit, aureſque potius quam oculos & præjudicia conſuluerit: imprimis ſi *Vocales*, pleriſque literis pronunciationis ergo adjunctas, ab eis rejicere, idque ſolum, quod cuivis literæ eſſentiale eſt, ad examen revocare noverit; Notatum enim velim tanquam quid maxime neceſſarium, me, cum de *Semivocalium* & *Conſonantium* formatione verba faciam, non intelligere tales, quales à pueris inter ſyllabizandum cum *Vocalibus* admixtis pronunciantur, ut *pe*, *ef*, *ka*, *el*, *em*, *en*, &c. ſed id tantum quod ipſis, abjectis Vocalibus, proprium eſt & eſſentiale, quodque eas ab invicem, nimirum *m* ab *n*, *p* a *t*, *s* ab *f* formaliter diſtinguit. Incredibile eſt, quantum ad faciliorem *lectionem* faciat, ſi *Surdi* Literas hoc modo pronunciare docentur; imo pueros, Literarum penitus ignaros, hac methodo bis 24 horarum ſpatio legere docui.

Poſt generalem *Literarum* in *Vocales*, *Semivocales* & *Conſonantes*, diviſionem, eas *pro tribus oris regionibus*, in quarum aliqua litera quævis præcipue formatur, ſubdividere mihi placuit; ſic enim ad oculum cernitur, quomodo eadem *Vox* idemque *Spiritus*, prout vel in imo *Gutture*, vel circa *Palatum* & *Dentes*, vel prope *Labia* ob organis *Loquelæ*, prehenditur, in *Literas congeneres* efformetur: quare de qnavis trium harum *claſſium* quinque ſex pluresvè reperiuntur, ut de *Gutturalibus a*, *n* ante *g* vel *k*, *ch*, *g*, *k*, de *Dentalibus*, *e* & *i*, *n*, *s*, *z*, *t*, de *Labialibus*. *o*, *u*, *v*, *m*, *f*, *p*. Diſtinctione hac non animadverſa. ratio reddi nequit, cur *infantes*, quorum *Loquela* adhuc adeo impedita eſt, ut, uͤ, *n* ante *g* vel *k*, *r*, *k*, nondum pronunciare poſſint, pro implendo hiatu non promiſcue quamcunque literam adhibeant, ſed plerumque *Dentalem* ejuſdem ordinis,

ut

ut *l* pro *r*, *n* pro *ng*, *t* pro *k*, aͤ pro uͤ.

Antequam autem *Literarum* in specie naturam & formandi modum explicem, monitum volui *Lectorem*, quod, sicuti omnes *Literæ*, nec ipsis *Vocalibus* exceptis, tanquam *Spiritus simplex* & non sonorus aliquo modo pronunciari possunt, cum *ex.gr.* alicui quid in aurem susurramus, ita & *Consonantes*, præter illas, quas simpliciter *explosivas* voco, *vocaliter* seu cum *sono* quodam proferri queant, gentesque sint, quæ eas ita pronuncient: quod tamen divisioni meæ nequicquam derogat; ut in sequentibus patebit.

Præoccupabo hic Lectorem, qui procul dubio in *tertio Capite* objiciet, hanc meam de *Surdis* & *mutis instituendis* doctrinam semper fore mutilam, quoniam omnes, quos *Lingua, Labiis*, &c. efficimus motus nunquam visu suo ita sint assecuturi, ut alios loquentes intelligant: Verum,

rum, præterquam quod viſus auditui vivida ſenſibilitate haud cedat, nec opus id eſſe aſſero, ſi, quæ dicuntur, eis aliquatenus ſint familiaria; namque & nos ſæpiſſime *Conſonantes*, ab aliis è longinquo pronunciatas, non audimus, ſed ex admixtis *vocalibus* & *ſemivocalibus* colligimus. Quotidie id obſervatur inter concionandum, eſtque præcipua ratio, ob quam, cum clam & quaſi per inſidias auſcultamus, uno aliquo verbo probe intellecto, tanquam arrepto filo, totum tandem glomum ſequi poſſimus, curque verbum, peregrina lingua prolatum, prima vice rariſſime nobis repetere liceat.

Jam *Literas* ad ſua uſque incunabula perſequar, eaſque ſingulatim ita examinabo, ut *Germanorum Literæ*, ob perfectam ſimplicitatem, mihi futuræ ſint regula, cui aliarum quarundum Gentium *Literas* applicabo, & quænam ab illis diſcrepent, quænam conveniant, docebo, unde

ex-

extranei non ſolum noſtram formandi rationem facilius addiſcent, ſed & ſurdos ſuos minori cum labore erudient: In explicatione autem hac eundem, quem in diviſione, ordinem ſervabo, & quamlibet literarum claſſem per triplicem oris regionem deducam.

Vocales ſunt Vox diverſa tantum oris apertura modificata; & ſunt vel *ſimplices* & *uniformes*, ut *a. e. i, j, y. o. u, w*: Vel *mixtæ*, quæ è duabus in unam ita coaluere, ut ſimul pronuncientur, in quo à *Diphthongis* differunt, ut pote quarum *Vocales* ſucceſſive pronunciantur: hæ autem *Vocales mixtæ* ſunt aͤ, oͤ, uͤ, quas *Linguæ* quædam vel plane non habent, vel male exprimunt: Verum de formationis modo ſtatim plura dicentur.

Vocalium ſimplicium prima eſt *Gutturalis a*, omnium maxime ſimplex, clavis *Aphabeti*, ac proin *Litera initialis* apud omnes Gentes, exceptis ſolis, quod ſciam, *Abyſſinis*, quibus

teſte Literatiſſimo *Ludolfo* decima tertia eſt. Vario quidem *Linguæ* ſitu pronunciari poteſt, communis tamen & maxime conveniens eſt, ut *Lingua* in ſitu quietis ſuæ ſit, blande in ore exporrecta, *dentiumque* inferiorum marginem vel non vel leviter tantum attingat: ſi itaque *maxilla inferior* deorſum trahitur, & os ita aperitur, ut Vox in Gutture efformata nec ad *dentes* nec ad *labia* notabiliter impingat, *a* quoddam apertum audietur: at ſi labia in orbem conſtringantur, ut faciunt *Bojari*, ad *o* accedet: *Angli* bifarium *a* ſuum pronuncianr, viz. vel modo jam dicto, ut in vocibus *shall*, *call*, vel media *Linguæ* parte magis verſus palatum inflexa, & ſic fit *vocalis* ex *a* & *e* mixta, ut in Vocibus *James*, *Have*: aliquando *o* ſuum & *au* tunquam *a* pronunciant, ut in vocibus *knot*, *ſchop*, *cauſe* &c. nec non *Galli* *e* ſuum, ſi *n* vel *m* ſequitur, ut in voce entendement; quod

quod probe obſervandum, ſi quis ſurdum aliquem erudiendum habeat, eodem enim modo *Literas* ubique pronunciare aſſuefaciendus erit.

e, *i*, *j*, *y*. ſunt *Vocales dentales*, ſeu *vox*, quæ inter prodeundum ad *dentes* magis minusve allidit; hinc infantes, licet dicant *papa*, *bo* &c. has literas pronunciare nequeunt, donec *dentes*, ſaltem inciſorios, habeant. Et quidem *e* formatur, dum *Vox*, leniter diductis *labiis*, ad *dentes* itidem modice diductos impingit: *Linguæ* autem ſitus talis eſſe debet, ut pars ejus anterior utrinque *caninis dentibus inferioris maxillæ* aliquantulum obnitatur, media autem in gibbum elevata, palato propius admoveatur, quam fit pronunciando *a*; ita enim *vocis meatus* undique anguſtior redditur & *e* multo fit clarius. *Literæ* hujus *ſonus* in omnibus fere Linguis idem eſt, præterquam quod aliquando apertior, aliquando magis

gis clausa pronuncietur; Verum *Angli* eum non raro tanquam *i Germanorum*, ut in vocibus *evil*, *ever*, Galli autem, ut jam dixi, non nunquam veluti *a* pronuncient.

i, *j*, & *y*, *Germanis* sunt una eademque *Vocalis*, modo correpta magis, modo producta, nec ullo nititur fundamento, *i* aliquando *Consonantem* fieri, *j* seu *jota* dictam, sed rapidius tantum pronunciatur, ut cum sequente *Vocali* Diphthongum constituere queat: Cæterum formatur *i* eodem fere modo, quo *e*, nisi quod vel *dentes* magis stringendo, vel *Linguæ gibbum* magis elevando, vel utroque, vocis *meatus* reddatur angustior, unde *sonus* quoque emergit acutior, qui tamen aliquando ab *e* clauso distingui vix potest. *y* Autem est *i* solito productius seu geminum. Variationes hujus literæ hæ sunt: Angli *i* & *y*, Belgæ autem plures *y* pronunciant tanquam *ei*, ut *time*, *cry*, *wyn*, *tyd*. De *Anglo-*

rum, *Italorum* & *Gallorum j* infra dicetur. Anglis *ee* ſemper *i ſonat*.

o, *u*, & *w* ſunt *Vocales labiales*, ſeu quæ vario *labiorum* ſitu efformantur, & tantundem *o* & *u* inter ſe differunt, quantum *e* & *i* : *w* autem ad *u* ſe habet ut *j* ad *i*. Formantur *o*, *u*, & *w*, cum *dentes* & *lingua* eundem, quem in *a*, ſitum ſervant, *labia autem*, ſicut in *e* & *i dentes*, magis vel minus contrahuntur, & ſic, quando minus ſtringuntnr, *o* habebitur, quando autem aliquanto magis, *u* vel *w*. Si quis *Surdum* docet, ſollicite caveat, ne, dum *o* vel *u* pronunciat, vox *dentibus* impingat, aut lingua nimis prematur, alioquin eorum loco Gallorum *eu* & *u* obtineret. *Literæ* hæ omnibus Linguis communes ſunt, ſed non in omnibus eiſdem *characteribus* expreſſæ: *o* quidem idem eſt, niſi quod Galli ſuum *au*, vel *eau*, eodem modo pronuncient; at *u Germanorum* idem cum *u Anglorum* & *Italorum*, *Galli*

autem

autem id reddunt per *ou*, & *Belgæ* per *oe;* cum tamen nil minus quam Diphthongus ſit. *w* eſt *u* rapide at fortiter pronunciatum.

Vocales mixtæ ſunt aͤ, oͤ, uͤ, quibus reſpondent *Gallorum ai*, *eu*, *u*; *Belgæ* carent aͤ, oͤ autem & uͤ ſicut *Galli* reddunt per *eu* & *u*; *Angli* non niſi aͤ habent, quod exprimunt ſuo *a*, ut in vocibus *take*, *make*: Verum Itali omnibus tribus carent. Harum *vocalium characteres* linguæ Germanicæ peculiares ſunt, & admodum ingenioſe à *Veteribus* excogitati, licet moderni plerique rationem neſciant. Simplicem habent quoque *characterem*, parvulo *e* notatum, quoniam *ſonus*, quem ſignificant *unicus* eſt, quamvis mixtus; ſunt enim *a*, *o*, & *u*, ita pronunciata, ut *vocis tranſitus*, *lingua dentibusque* ad pronunciandnm *e* compoſitis, anguſtior reddatur, & ita *e* cum dictis literis *a*, *o*, *u*, unicam at *mixtam Vocalem*

conſtituat in quo earum à *Diphthongis* differentia conſiſtit

De Diphtongis, è *vocalibus* his compoſitis, quæque inde componi poſſent, multa addere ſuperfluum duxi; non enim *Grammaticam* ſcribere, ſed *literarum* naturam examinare animus eſt: id tamen in genere de eis dicam, eas inter loquendum formari ex *duarum*, *raro trium*, *vocalium ſucceſſiva at ſolito citiori pronunciatione*; tumque demum recte ſcribi, ſi *vocalibus* eas componentibus exprimuntur; Cum autem pleræque *Gentes Diphthongos* ſuas adeo male ſcribant, ut componentium *vocalium* vel alterutra tantum vel nulla inter pronunciandum audiatur, eas ad examen revocare ſingulas non libet. ſed iis, quorum intereſt, relinquo; facile enim quis *Diphthongum* quamcunque ad ea, quæ de *Vocalibus* tradidi tanquam ad *Lydium lapidem* probare poterit.

Ad ſecundam *Literarum* claſſem ge-

generalem pertinent *Semivocales*, ideo ita dictæ, quod formentur è *Spiruto ſonoro* ſeu *Voce*, at quæ in itinere ſuo multum infringitur: Poſſunt tamen, genuinarum inſtar *Vocalium*, pro lubitu produci. Sunt, ut jam dixi, vel *Naſales*, ſive quæ per meatum, quo *nares* in *oris* cavitatem hiant, pronunciantur: Vox autem, in *Laryngis cartilaginibus* elaborata, eà tranſire cogitur, cum vel ad compreſſa *labia* appellit, & inde *regurgitans*, perque *nares* egredi coactus, in *m* formatur. Vel cum *Linguæ apex* ita *palato anteriori* & *dentibus ſuperioribus* adaptatur, ut per *os* egredi *vox* nequeat; tum enim per *nares* regurgitare debet, & ita in *n* formatur: vel denique cum *vox poſteriori Linguæ parte*, *palato* admota, ita *coërcetur*, ut ei non niſi per *nares* pateat exitus, formatur in *ſonum*, qualem habet *n* ante *g* vel *k* & *q*, qui peculiarem in nulla, quod ſciam, *Lingua* characterem habet, ſi forte *He-*

bræorum *y* excipias; cum tamen à reliquis *nasalibus* non minus differat, quam *k* diversum est à *t* vel *p*. Si quis hæc in se experiri cupiat, *Naso* digitis compresso unam de tribus pronunciare conetur, nec poterit. *Literarum* harum *nasalium*, ut & sequentium duarum *oralium* in omnibus *Linguis* similis est pronunciatio, unicam tamen *observationem* addam, quæ *n* spectat: si verbum quoddam terminetur in *n*, & sequens incipiat per *b* vel *p*, *g* vel *k*, *c*, *q*, tum *n* istud inter pronunciandum etiam inscii, propter euphoniam, mutamus vel in *m*, si fuerit ante *b* vel *p*, si autem sequatur *g* vel *k*, pronunciamus *n* præcendentis verbi, ac si unam cum illis syllabam constitueret: id quod Surdos in *Loquela* & *Lectione* multum juvare potest.

Semivocales orales appello, quæ quidem per *oris* hiatum pronunciantur, at non libere plenoque alveo, sicut *genuinæ Vocales*, suntque duæ

l &

l & *r*. Formatur *l*, quando *Linguæ pars anterior* dilatata firmiter applicatur *Palato Dentibusque superioribus*, ut *Vox* non nisi exili radio juxta *Linguæ latera* erumpere possit; si enim *genas* versus *molares dentes* premas, exitum *voci* præcludes, & difficulter admodum hanc *literam* pronunciabis. *r* est *Vox* summa rapiditate *fluctuans*, & formatur, dum pars Lingua mobilior, altera crassiori immota manente, oculi ictu aliquoties palato alliditur, iterumque inde resilit; ita enim *Vox*, in Larynge efformata, inter pronunciandum *motu oscillatorio fluit refluitque*, & subsultim effertur: hinc quorum Linguæ pars anterior crassa est adeoque gravis, ut, dum eam ita movere volunt, posteriori præponderet, *literam r* in *Gutture* formabunt, sive audiant, sive *surdi* sint, & nunquam bene eam pronunciabunt.

Agmen tandem claudunt *Consonantes*, *quæ finguntur ex aëre seu spi-*

ritu non ſonoro, in cujus varia modificatione omnis earum vis & inter ſe diſcrimen conſiſtit: ex illis tamen non nullæ, ut *Gallorum z*, & *v*, & *j*, Anglorum *th* &c. *Semivocalium* nomine non plane indignæ ſunt, quare ſæpius de augenda harum familia mecum cogitavi: Verum ut exoſum *Novatoris* nomen evitarem, neque cum *Conſonantibus* bellum gerere viderer, *Semivocalium* limites extendendo, nihil mutare volui; præterea citatæ modo *literæ* ſocium habent ſpiritum quendam aſperum, qui magis de earum natura mihi videtur eſſe, quam lenis ille, quem ſibi junctum habent, *ſuſurrus*: quare eas à parte ſui potiori denominabo.

Conſonantes in genere ſunt vel *Simplices* vel *Duplices*, omneſque per *os*, nec ulla per *Naſum*, pronunciantur. *Simplices* ſunt vel *Sibilantes*, quæ inſtar *Vocalium* & *Semivocalium* pro lubitu produci & corripi poſſunt; vel *Exploſivæ*, quæ ſubito & unico

ictu quasi exploduntur. Utrasque in duas iterum *Classes* divisi, nimirum in simpliciter tales, & quæ leviusculum junctum habent *sonum*.

Sibilantes, ita simpliciter dictæ, formantur ex *aëre* seu *h* quodam, in aliqua *oris* parte compresso, & per angustiam exsibilato, ut sunt *h*, *ch*, *s*, *sch* quod idem est cum *Hebræorum* ש, & *f* seu *ph*. *h* omnium *Consonantum* est simplicissima, non enim differt ab aëre, quem communiter per os apertum exspiramus, nisi quod in *Laryngis rima* paulo densius coarctetur, estque communis sequentium materia: si enim *fauces* ope partis *Linguæ* posterioris, in *gibbum* elevatæ, ita arctantur, ut spiritus cum sibilo quodam vique erumpat, ex *h* fit *Belgarum* & *Germanorum* *ch*, idem cum *Græcorum* χ, & Hispanornm *g* id voce mugere. *Galli*, *Itali*, & *Angli* hac *Consonante* carent quoad pronunciationem, non quoad characterem: hinc si *Germanicam*

Belgicamve Linguam addiſcunt, ſemper hallucinantur ad hunc lapidem. Si autem *Linguæ pars media* leniter attollitur, & anterior ita *Dentibus* adaptatur, ut ſpiritus non niſi per Dentium inſtertitia tenui radio prodire queat, *s* inde formatur, quale omnibus Nationibus commune eſt: & ſi *ſpiritui* tranſitus, ob *Linguam* depreſſiorem, amplior eſt, *s* fit *obtuſius*, quod Germani reddunt per *ſch*, Galli per *ch*, & *g*, cum ſequitur *e*, *i*, vel *y*. Angli per *sh*, *Itali* & *Belgæ* carent. Denique, *f ſeu peregrinum ph*, formatur, quando *Labium inferius* ita *Dentibus ſuperioribus* applicatur, ut *ſpiritui* per eorum *interſtitia* ſit erumpendum. Hæc *Litera* ab omnibus Gentibus eodem modo pronunciatur: vidi puerum, qui *f* pronunciare nequibat ob *Labium inferius* nimis exile, me jubente, *ſuperius* adaptavit *dentibus inferioribus* & poſtea facile id pronunciavit.

Literæ, cum ſono quodam coëxtenſo ſibi-

ſibilantes , ſunt *Belgarum g* , imprimis in vocis alicujus initio , *Belgarum* & Gallorum *z* , Gallorum *j* , & omnium fere Gentium *v* : ut uno verbo dicam, hæ *literæ* ſunt ipſiſſimæ, quas modo *ſimpliciter ſibilantes* appellavi, *g* nimirum eſt *ch* , *z* eſt *s*, *j* eſt *ſch* , & *v* eſt *f*, niſi quod ſingulæ , dum pronunciatur , leviusculum ſonum habeant comitem , quare alteris illis fiunt leniores.

Alterum *Conſonatum* genus ſunt *exploſivæ* , quæ nil aliud ſunt quam *Spiritus* , qui vel in *proſtrema* vel in *media*, vel in *anteriori oris parte* coacervatus, & ab *uvula* per *nares* egredi prohibitus , ſubito exploditur. Suntque vel *penitus mutæ* , nec *ſoni* quicquam admixtum habent, ut *k*, *t*, *p* : vel, ad mitigandam aſperitatem, cum leviſſimo quodam *ſono* incipiunt , & lenius exploduntur , ut *Gallorum g*, ſi ſequitur *a*, *o*, vel *u*, *Germanis*, *Anglis* & *Italis* commune, *d*, &, ni fallor, Anglorum *th*, & denique *b*.

Prio-

Priores ita formantur: quando *pars Linguæ postrema* firmiter admovetur *palato*, ut spiritus, quem interim expirare conamur, nec per *os* nec per *nares* erumpere possit, ex eo subito iterum laxato, inque libertatem restituto, fit *k* vel *q*, vel *c* nisi sequatur *e* vel *i*: si idem *spiritus* in *media oris regione* circa *dentes* aggeritur, ex eo relaxato fit *t*; quando autem *spiritui*, compressis Labiis in oris cavitate coacervato, solutis istorum repagulis, fores patent, *p* formatur. Hæ *literæ* ab omnibus *Gentibus* eodem modo pronunciantur, nisi quod aliquando adspirentur.

Posteriores sunt totidem numero cum prioribus, eodemque modo formantur, præterquam quod, cum eas proferre cupimus, expirandi conatus minor est, easque cum *sono obscuro*, &, ob denegatum ei per *os* & *nares* exitum, *brevissimo* pronunciare incipimus: & ita ex *k* fit *g*, prout *Galli*, *Germani* &c. id pronunciant,

at *Belgæ* eo carent: ex *t* fit *d*, *p* autem mutatur in *b*. Moneo hic *Lectorem*, ſi forte *Surdus* ipſi erudiendus obtingat, ne nimis anxius ſit de hac differentia; cum enim ſonus, qui Literis *g*, *d*, *b*, comes eſt, nec per *os*, nec per nares egredi, ſed leviter in faucibus fluctuare debeat, facile fieri poſſet, ut aliquam ex *Semivocalibus naſalibus* iis adderent, & loco *b* dicerent *mb*, loco *d* autem *nd*, quod pejus foret, quam ſi ſonum iſtum omitterent: ſufficiat ergo Diſcipulo ſurdo commonſtraſſe, *poſteriorem* hanc *exploſivarum claſſem* à priori gradu tantum differre.

Sequuntur tandem *Conſonantes duplices*, de quibus, quid dicam, vix habeo, ſique, quod ſentio, eloqui licet, ſine incommodo iis carere poſſemus, tales enim in rerum natura non ſunt; at cum *veteribus* placuerit *Characteres* quoſdam excogitare, & *recentiores populi* alios addiderint, qui, licet revera ſimplices, duas

Con-

Consonantes exprimunt, quæ tamen eædem ſunt cum eis, quas hactenus deſcripſi, quare *Duplices* quæ hodie in uſu ſunt, in ſuas *ſimplices* reſolvere teneor. Sunt autem hæ *Duplices* compoſitæ vel ex *duabus plane mutis*, ut *x* ex *k* & *ſ*, aut *g* & *ſ*; *Germanorum z* vel *c*, quando ſequitur *e* vel *i*, conſtat ex *t* & *ſ*, cum quo convenit *Italorum z* & *t*, quando ſequitur *i* purum; *Italorum c* ante *e* vel *i* idem eſt quod Anglorum *ch*, quod componitur ex *t* & *ſch*; vel ex *duabus leviter ſonoris*, ut *Anglorum* & *Italorum j* & *g* ante *e* vel *i*, utrumque compoſitum eſt ex *d* & *j Gallorum*. De ſingularum formatione diſſerere opus non eſt, quia Literas omnes, ex quibus compoſitæ ſunt, jam jam explicui.

Poſſem hunc *Literarum catalogum* multum augere, modumque tradere, quo plurimæ aliæ, ab his deſcriptis plane diverſæ, per *Loquelæ organa* efformari queant; Verum in quem uſum?

usum? Utinam *Hebræi*, *Græci* & *Romani* suas nobis Literas ita delineatas reliquissent; jam enim de genuina earum pronunciatione non litigaretur.

CAPUT III.

Ipsa Methodus exponitur, qua Surdos vel natos vel morbo factos, & ob surditatem Mutos loqui doceo, & Loquelæ vitia emendabilia corrigo.

Quæ hactenus de *Literis* & artificiosa earum formatione dicta sunt, attendenti ad Loquaces reddendos *Surdos* sufficere, &, licet nihil adderem, ad id, quod *Capite hoc* promitto, audendum calcaria admovere possent, totius quippe artificii fundamenta continent; at ne salivam tantum sibi movisse mequerantur *Lectores*, ingenue iis aperiam, quid decennio hoc, quo *Surdis* quibusdam & ita natis, & postea factis (no-

(notandum, quod qui in infantia ſurdus fit, antequam *Linguam* ſibi *vernaculam* loqui, legere, & ſcribere poſſit, ſenſim obmuteſcat) inſtituendis operam dedi, ſcitu & dignum & maxime neceſſarium obſervaverim, ut tanto efficacius unum alterumque ad tale quid audendum excitem, & aliquos in ferendo hoc labore ſocios habeam. Si cui obſcurus forte alicubi videbor, id ipſi potius, hæc tanquam *Hiſtoriolam* quandam legenti, quam mihi imputandum eſſe confido, & audacter aſſero, tantum certitudinis hæc mea præcepta habere, cut vel cum *Mathematicis diſciplinis* certare poſſint; toto enim tempore, quo praxin hanc exerceo, non niſi unam *Puellam*, & quidem ob ingenii hebetudinem, indoctam à me dimiſi, putidumque *Judæum*, cujus *Patrem*, hominem nauci nihilique, pro omni collocata opera ne gratias quidem mihi acturum prævidebam: imo pleroſque mutos

intra

intra bimeſtre ſpatium & legere & verba quam plurima pronunciare docui. Ut autem certitudo hæc cuilibet pateat, ſecum reputet, ſermonem conſtare ex verbis rite & ligitimo ordine pronunciatis, verba componi ex *Literis* variis modis combinatis, *Literarumque* naturam & vim conſiſtere in *Voce* & *Spiritu* multifariam *articulatis*: cum itaque ſingulæ *Literæ* peculiarem *Vocalium organorum* configurationem requirant, & unius ab altera diſcrimen, ut *Cap.* II. docui, ad oculum ſit notabile, quis *Mutos*, oculis non captos, diligentemque *Magiſtrum* nactos, *Literas*, & ex *Literis* ſucceſſive pronunciatis *verba* formare, & ex his tandem ſermonem efficere poſſe denegabit?

Primum, quod in *Surdo* & *Muto* docendo requiro, eſt, ut ſit ingenii vividioris & docilis, ætatis nec teneræ nimis nec nimium provectæ, ſed ad adoleſcentiam vergentis, nimirum ab anno octavo ad decimum

quintum; tum ut *Loquelæ* organa bene habeat conſtituta; ſtupidi enim nullius doctrinæ ſunt capaces, qui adhuc in infantia ſunt, nec ſatis attendunt, nec, quæ eos doceo, uſui ſibi commodoque fore ſciunt; adultiores vel moroſi ſunt vel nimis verecundi: at qui præter *Surditatem* & *Loquelæ organa* habent inepta, alios quidem loquentes intelligere, ſuamque *ſcripto* mentem aperire quandoque poterunt, at loqui nunquam diſcent.

Aptum igitur *diſcipulum* nacto prima mihi cura eſt, ut vocem aliquam ex eo eliciam, ſine qua labor irritus eſt omnis nec clara unquam voce loqueretur: id autem, quo *Surdi*, à quibus ego me didiciſſe non diffiteor, *vocem* à *ſpiritu non ſonoro* ipſi in ſe diſcernunt, eſt revera magnum hujus artis *Myſterium*, & *Surdorum*, ſi ita loqui fas eſt, *Auditus*, aut ei ſaltem quid analogum, nimirum *tremulus* ille motus & titillatio, quam, dum

dum *vocem* ſponte ſua, quod ſæpiſſime fit, edunt, in proprio percipiunt *Gutture*. Quomodo enim intelligeret *Surdus*, quid velim, cum pro *Litera* aliqua pronuncianda os aperio, eumque eandem *repetere* jubeo? Neſciret, inquam, utrum ſimpliciter hiarem, *mutumve* expromerem *ſpiritum*, an *veram vocem* ederem, ipſi imitandam: quare manum ipſius *Gutturi* meo admoveo, ut *tremulum* ejus motum, dum *vocem* edo, perſentiat; tum eandem manum proprio *Gutturi* adhibere, meque imitari eum jubeo: & ſic tanquam habena *vocem* ejus manu flectere poſſum, ut & leviſſimos tandem accentus obſervet. Non terreor, ſi *vox* ab initio ſcabra fuerit & difficilis, magis enim ac magis tempore & organorum excercitatione ea politur & lævigatur. Hoc etiam modo *Pipitum* illum, *ſurdis* plerisque familiarem, & multum à genuina *voce* diſcrepantem, facile dedoceo, &

ejus loco *vocem humanam*, cum *Laryngis tremore* elaboratam, elicio.

Si *vocem*, quod prima plerumque vice fit, obtinui, *Vocales* eum brevi tempore pronunciare doceo, nimirum *oris aperturam*, dum *Vocem* in *Larynge* fingit, ita moderari jubeo, ſicuti ſupra de *Vocalium* formatione dixi: ut autem eo facilius id poſſit, *ſpeculum* adhibeo, quia diverſos iſtos *Linguæ*, *Maxillæ* & *Labiorum* motus, ad *Vocales* efformandas neceſſarios, me tantum intuendo imitari nequiret, niſi aliquoties id coram *ſpeculo* tentaverit, habitumque quendam acquiſiverit; omnes enim corporis noſtri muſculos adeo ad nutum movere non poſſumus, quin longa ſubinde excercitatione opus ſit, quod qui *ſaltare*, *cantare*, *tibias aliaque inſtrumenta muſica* tractare diſcunt, quotidie experiuntur: quare *Diſcipulus meus* dictos motus coram ſpeculo imitari tenetur, donec muſculi iis inſervientes fuerint aſſueti. Inde didi-

didici, falſo communiter credi, *Surdos*, ſtatim ac *auditus* ipſis redderetur, locuturos; quamvis enim arctiſſimus inter *auditus* & *Loquelæ* organa ſit conſenſus, ut auditam *vocem* quamcunque imitari nobis fere naturale ſit, tantus tamen mihi non videtur, ut prima id vice queamus: Verum acceptam ab aliis *vocem* ſæpius imitando, propriamque ſimul audiendo, utriuſque demum ſimilitudinem deprehendimus, & ita omnes loqui ſenſim diſcimus. Sive enim Surdus quis ſit, ſive audiat, ſi loqui diſcit, perinde eſt, ac ſi aliam quandam artem addiſceret, quod & *Cap*. I. jam inculcavi, longa demum conſuetudine organa redduntur apta & ductilia; hinc peregrinas *Literas* quandoque non niſi longo temporis ſpatio rite pronunciamus.

Probe autem notari velim, me *Surdis*, quoties *Literam* aliquam pronunciare eos doceo, ſimul eam præſcribere, alioquin iſtius *ideam*, quam

necessario habere debent, nusquam figere possent: Ut autem eorum profectus melius experiar, Literas nonnunquam, non à me pronunciatas sed tantum scriptas recitare, & vicissim à me simpliciter pronunciatas, & voce & calamo eos imitari jubeo; ex quo incredibilis in eos utilitas redundat; *Literæ* enim altius infiguntur memoriæ, *Surdi* eas, me etiam absente, repetere possunt, &, quod omnem fere fidem superat, simul ac omnes *Alphabethi Literas* tenent, & legunt, & quicquid eis prædico, recte scribunt. At raro plures quam duas tresve *Literas* una die eos doceo, ne earum ideæ turbentur.

Vocalium pronunciatio res est admodum tenera; &, quoniam levissima situs *Linguæ* mutatio eas alterare potest, prudenter tractanda; sicuti enim qui audiunt, ita & *Surdi* eas non præcise eadem oris apertura pronunciant, proin negotium hoc variis modis est tentandum: Et cum *e* & *i*,

o &

o & *u*, ȯ & u̇ ſint *vocales* ſibi maxime vicinæ, caſu aliquando fit, ut Diſcipulus in principio, cum unam earum volo, alteram pronunciet; tunc ego aſtutia hac utor, non increpo, ſed potius, ac ſi eadem eſſet *Litera* quam volui, applaudo, redditumque ſonum aliquoties eum repetere jubeo, & demum *characterem* proprium, quo ſonus iſte exprimitur, ipſi præſcribo, deleto priori: Et ſic multoties caſu & ſine labore *Vocalem* obtineo, quam data opera tam facile non obtinuiſſem. Interim, dum *Vocales* addiſcit, manum ejus ſæpius *Gutturi* meo admoveo, ejuſque *nares* digitis leniter comprimo, ut *vocem* integram plenoque alveo per os tantum edere aſſueſcat.

Quando *Vocales* ipſi familiares ſunt, ad *Semivocales* accedo, quæ aliquanto difficiliores ſunt, præſertim *Naſales*; per *Naſum* enim *Surdi* vocem niſi docti nunquam reddunt: Proinde incipio ab *m*, utpote maxime

me conſpicua, & reliquis faciliori. ut ſaltem *vocem* per *nares* reddere aſſueſcat. Jubeo itaque *Diſcipulum* comprimere *Labia*, manuque *Gutturi* admota *vocem* edere, & ita neceſſario *m* pronunciabit, non autem, ut vulgo fit, *em*. *Dn. Kolardi Filia*, antequam curæ meæ committeretur, dicere quidem poterat *Papa*, eſt enim *vocula*, oculis præter alias innumeras maxime expoſita, at fatebatur mihi *Parens*, ſe plus millies fruſtra tentaſſe, ut diceret *Mama*, quod tamen ego minuto temporis præſcripto modo effeci.

Quod *Cap*. II. de *Semivocalibus* & *Conſonantibus* dixi, vix ſatis inculcare tibi poſſum Lector, ne ſurdum, ſi quis forte docendus obtigerit, eas cum annexis ſuis *Vocalibus* ſimul pronunciare doceas, ut v. gr. em, en, ka, ef &c. ita enim nec legere nec rite quicquam effari diſceret; vis enim & emphaſis *Semivocalium* & *Conſonantum* non eſt in adjecta Vocali,

ſed

ſed in peculiari & ſui generis *voce* vel *ſpiritu*: ita in verbo hoc *man*, emphaſis *Literæ m* eſt in ſono per nares prolato, nec dicitur *emman*. Si ſecus faceres, amice Lector, *Surdumque* tuum, *Literas* jam edoctum, dicere velles *Tafel* aut *Hond*, nihil audires quam *Te*, *a*, *ef*, *e*, *el*, vel *Ha*, *o*, *en*, *de*, quod valde eſſet abſonum, & quoniam in principio colloqui cum eo nondum potes, vitium hoc non facile emendares: Hac autem *Methodo*, primum ac *Literas* novit, legere incipiet, nam *legere quid eſt*, *quam Literas ſucceſſive pronunciare*? Ex. gr. ad pronunciandum verbum hoc *Mond* nihil requiritur, niſi ut *Literæ*, *m*, *o*, *n*, *d*, ad hunc modum, ſine hiatu pronuncientur, & *mond* ſponte emerget.

N. B. *Methodus* hæc maximi in *Scholis* uſus eſſet, imprimis quando *Linguæ* docentur, quarum *Literæ* integris vocabulis exprimuntur, ut *alpha*, *omega*, *gimel*, *dubbeld u*, *i grec* &c.

plurimum enim temporis perditur, discendique desiderium pueris adimitur, antequam *initiales* istarum vocum *literas* abstrahere, & inter legendum connectere possint: Ego tamen, quamvis sim juratus putidæ jactantiæ hostis & osor, glorior, me aliquoties animi gratia *pueros*, qui *Scholas* nunquam frequentarunt, nec vulgarem *Syllabizandi* morem noverant, triduo vel quatriduo inter ludendum, & quasi aliud agendo, legere docuisse. Imo *Sartoris* cujusdam *Amstelædamensis Filium*, *Surdum* natum & mutum, duarum septimarum spatio docui, ut *Orationem Dominicam* & legeret & memoriæ mandaret. Adeo ut sit summo mirandum opere, egregium hoc *Lectionis compendium* hactenus vel delituisse, vel in usum non fuisse vocatum.

Reliquæ duæ *Nasales*, nimirum *n* commune, & *n* quale ante *g* vel *k* pronunciatur, ab illo plane diversum,

ſum, peculiare nihil habent, niſi quod *Surdis Linguæ* ſitum, pro utraque requiſitum in *ſpeculo* oſtendam, manumque ipſorum *Naſo* meo admoveam, quo *aërem ſonorum* per *nares* egredi ſentiant, manum ipſorum alteram *Gutturi* meo admoveo, ut *Laryngis* tremorem ſimul percipiant. Denuo hic moneo, Literam *n*, ſi eam ſequatur *b* vel *p*, tanquam *m*, ſi autem eam excipiat *g* vel *k*, *q*, tanquam *ng* ab omnibus fere ob majorem facilitatem pronunciari: hoc ergo in ſurdis non negligendum. Galli *n* ſuum finale fere ſemper tanquam *ng* pronunciant, quod obſervandum ei, qui *Surdum* Gallice loqui docebit.

Quando Literam *l* doceo, *Linguam Dentibus Superioribus*, at *inciſoriis* tantum & *caninis*, partique *palati* dentibus vicinæ applicare jubeo *Diſcipulum*, tum, ut *Vocem* per os edat, ſignum ei do manu; at ne loco *l* pronunciet *n*, quod fit, cum

Lin-

Lingua voci adeo præcluditur exitus, ut regurgitet per *nares*, has, donec aſſueverint, digitis leniter comprimo, vocemque in *l* formatam per *os* prodire cogo.

Litera *r* eſt omnium fere difficillima, & hæc ſola poteſtati meæ non ſubjacet, ex omnibus tamen Surdis, quos hactenus informavi, non niſi duo in faucibus eam pronunciant, at tam craſſam uterque Linguam habet, ut, licet audiviſſent, nunquam aliter *r* fuerint pronunciaturi. Doceo autem hanc *Literam*, dum manum *Surdi* modo *Gutturi* modo *Ori* meo admoveo, quo ſubſultantem, & aliquoties abruptam vocis expulſionem quaſi palpare poſſit; in *ſpeculum* quoque aliquoties reſpicere jubeo, ut tremulum & fluctuantem *Linguæ* motum ſimul obſervet: at nemo genuinam hujus *Literæ* pronunciationem prima vice à *Surdo* expectet; proin non nimis eſt defatigandus, ſed labor hic in commodius tem-

tempus reſervandus, donec *Loquelæ orgona* longiori uſu ſint mobiliora.

Vocalibus & *Semivocalibus* probe inculcatis, longe maximam & præcipuam hujus ſtadii partem decurri, *Conſonantes* enim nullo fere negocio docentur; quippe ſunt *ſpiritus*, vel plane *mutus* vel leviſſime *Sonorus*, qui, triplicem oris regionem varie claudendo aut aperiendo, vel *ſucceſſive* vel *ſubito* prodit, & ſola fere manu, *ori* admota, facile omnes â Surdis diſcuntur.

h Omnium eſt ſimpliſſima, nec aliud quid quam aër, qui ſolito denſius & concitatius per os expiratur.

Ch eſt *h* aſperius, quod doceo, dum Surdis Linguæ gibbum in *ſpeculo* oſtendo, *ſpiritumque* prodeuntem palpandum do. Ita ſe res habet cum *ſ*, *ſch*, ſeu Gallorum *ch*, & Anglorum *sh*, & *f* ſeu *ph*, utpote quibus nihil eſt facilius, quæque ex

ante-

antecedentibus tam levi labore docentur, ut nunquam his *Literis* horæ quadrantem insumsisse meminerim.

Hisce *Literis* parellelæ sunt totidem aliæ, quæque fere eædem sunt cum illis, ut *g* Belgarum cum *ch*, *z* Gallorum & Belgarum cum *s*, *j* Gallorum cum *sch*, & *v* cum *f* seu *ph*, nisi quod cum leni susurro, ipsis coextenso. pronunciari soleant, quem *Surdi*, si semel manu, Gutturi meo admota, perceperunt, facile imitantur: Verum admodum parum refert, sive addant eum sive non, dummodo Literas istas aliquanto lenius pronuncient quam priores.

Consonantes explosivas Surdum, etiam si cæcus esset, docerem; si enim *explosum* ipsi *spiritum* palpandum darem, unam ex illis necessario prununciaret. *Discipulum* itaque meum simpliciter ad *Os Linguamque* meam respicere jubeo, tum manu ejus Gutturi meo admota vel *k*, vel *t*, vel *p* pro-

p pronuncio, & ut, idem faciat, impero: Vix ullus vel prima vice aberrabit. Hiſce tribus *Literis* totidem quoque parallelæ ſunt, cum *k* convenit *g*, quale à *Gallis*, *Germanis* &c. pronunciatur, cum *t* convenit *d*, & aliquantenus *Anglorum th*, cum *p* autem *b*: Verum & hic ſufficiet, ſi quis poſteriores has lenius & minori cum impetu quam priores *Surdum* pronunciare doceat.

De *Conſonantibus duplicibus* nihil addo, niſi quod *Surdis* eas non videndas prius præbeam, quam *ſimplices* omnes rite effari, duaſque combinare didicerint; ſi enim dicere poſſunt *ks*, tum ipſis *Characterem x* oſtendo, huncque *k* & *s* æquivalere innuo, & ita de reliquis; *z* enim Germanorum, ut & *c* ante *e* vel *i* eſt *ts*; *j* Anglorum eſt *d* & *j* Gallorum; *ch* Anglorum eſt *t* & *sh* &c.

Et ſic quidem *Surdum meum Diſcipulum* Literas ſingulatim pronunciare docui, quoniam autem loqui adhuc

adhuc neſcit, quædam, notatu non indigna, ſubjiciam de *Literis* hiſce, & pro *Loquela* & pro *Lectione*, legitime connectendis.

In principio quidem omnes fere *Semivocales* & *Conſonantes ore apertiori* Diſcipulum pronnnciare doceo, ne *Labia Dentesve* obſtent, quo minus *Linguæ* motus videre poſſit; at poſtea diligenter eum aſſuefacio, ut has *Semivocales n*, *ng*, *l*, *r*, nec non ſequentes Conſonantes *h*, *g*, *ch*, *ſ*, *ſch*, *z*, *k*, *d*, *t*, quavis *oris* apertura pronunciet; alioquin eas quandoque non ſine notabili hiatu & cacophonia cum *Vocalibus* quibuſdam & *Conſonantibus* jungere poſſet: ex. gr. diceret *wiel* pro *wil*, *tien* pro *tin* &c. cum tamen tota & *Loquelæ* & *Lectionis* elegantia conſiſtat in immediata *vocalium* cum reliquis connexione, omni peregrino ſono excluſo. In genere autem hibernum tempus inſtituendis *Surdis* aptius eſt, ſimul enim *halitum*, inter pronunciandum

ab

ab *ore naribusve* provenientem, videre poſſunt.

Quando itaque *Surdum* Literas hactenus enumeratas ſingulatim pronunciare docui, duas treſve de facillimis & maxime conſpicuis ita effari doceo, ut immediate cohæreant, nec inter eas hiatus ſit, ut *ab*, *am*, *af*, *ba*, *fa*, *ef*, *aſt*, *tam*, *mof*, &c. quo *Literas* ſucceſſive pronunciare aſſueſcat: tum ſenſim difficilioribus *combinationibus* eum aſſuefacio, *Vocales*, *Semivocales*, & *Conſonantes* variis modis invicem miſcendo, modo has, modo illas præponendo; & ita parvo labore brevique tempore, ſi fuerit attentus, *legere* diſcet. Ut autem *Verborum ideæ* tenacius memoriæ inhæreant, frequentiſſime eum ex *Literis*, ſingulatim à me pronunciatis & ab eo repetitis, *verba* componere, eaque ſtatim in *chartam* conjicere jubeo; ſic enim non Literas tantum pingere, ſed omnia verba, quorum habet ideam, orthographi-

ce ſcribere diſcit. Hac methodo *Harlemi* Puerum pinguis & Arcadici ingenii uno menſe & *Literas* legitime pronunciare, & modice *legere ſcribereque* docui.

Sedulo etiam laborandum eſt mihi, ut, quando *Conſonans* ſequitur aliam *Conſonantem*, ut *ps*, *ts*, *kt*, *gd*, *tf* &c. vel *Semivocalem*, ut *ls*, *lk*, *lm*, *md*, *mf*, *ms* &c. immediate *Diſcipulus* eas jungat, ne inter pronunciandum *i* quoddam inter utramque audiatur vel *e*; quod, niſi cavetur, frequenter accidit: id autem facile præcaveo, ſi eum, ut jam monui, *Semivocales* & *Conſonantes* quavis oris apertura pronunciare doceo; at diu crucem mihi fixere tres hæ *combinationes*, *pm* aut *bm*, *tn* aut *dn*, *tl* aut *dl*; earum enim loco obtinui *pem*, *ten*, *tel*, donec animadverti iſtas *exploſivas* non pronunciari, ſed conatum ad eas pronunciandas ſufficere, & res feliciſſime ceſſit.

Contingit non raro inter initia, ut *Diſci-*

Discipulus Surdus Vocales, cum *Semivocali* aut *Consonante* junctas, non satis rapide pronunciet, sed plus æquo producat cum magno *Lectionis elegantiæ* detrimento: at medeor huic vitio, dum *Vocales* talibus *Semivocalibus* & *Consonantibus* præmitto, quas maxime in potestate habeo, digitisque moderari possum. v. gr. in his vocibus, *kam*, *stem*, *stof*, *tip*, *lub*, vacales *a*, *e*, *i*, *o*, *u* rapidissime pronunciari debent; at ne *Discipulus* dicat *kaam*, *steem*, *stoof*, *tiip*, *luub*, ipsi, simul ac *Vocalem* audivi, digitis *labia* ejus claudo; & sic non in his tantum vocibus, sed in omnibus aliis, *Vocales* pro lubitu corripere discet.

Discipulo, per aliquod tempus ita exercitato, legendum do librum aliquem, in quo, si unam legit lineam, libro clauso ad me respicere, verbaque omnia, denuo à me pronunciata, repetere jubeo, quod mirum quantum ei prodest; ita enim

voces recens lectas, quarum idea nondum plane obliterata eſt, ſolo intuitu imitari aſſueſcit: Sic & nos, dum, quod legitur, in libro ob oculos habemus, aut memoria tenemus, diſtincte audimus, quæ ſine libri ope, vel propter nimiam à Lectore diſtantiam, vel ejus ἀσάφειαν non intellexiſſemus. At nolim Surdos hoc exercitio, ſatis moleſto, donec multum profecerint, defatigari; ſunt enim manſuete & prudenter tractandi.

At magna videtur *difficultas*, 1. quod Literæ nonnullæ, ut *e* & *i*, *o* & *u*, oͤ & uͦ, eadem fere *oris apertura* enuncientur, 2. aliæ plane eadem, ut *naſales m*, *n*, *ng* cum parallelis ſibi *exploſivis p*, *t*, *k*, 3. aliæ autem, ut *ch*, *k*, in faucibus fere deliteſcant, adeoque *Surdos* iis confundi neceſſe ſit. At difficultas hæc parvì eſt momenti; præterquam enim quod *experientia Surdique*, & loquentes & alios intelligentes, pro

me

me militent, dico ad *primum*, exactissimum Literarum κριτήριον à *Surdis* non esse exigendum, donec sufficiente verborum copia instructi sunt; tum enim non magis hæsitabunt quam exercitatus *Lector*, qui epistolam festinanter scriptam legit, licet in ea multoties *Literas* offendat magis ab invicem diversas, ut *m* & *n*, *r* & *n*, *a* & *o* &c. quas tamen, eodem sæpe modo scriptas, non nisi ex antecedentibus & sequentibus ab invicem discernit: Ad *secundum* respondeo, *Surdos* assuefaciendos esse, ut simul ad *Guttur* respiciant ejus, qui cum iis loquitur; nam *explosivæ* fere nunquam non cum aliqua *Laryngis* elevatione pronunciantur, & sic à parallelis sibi *nasalibus* dignoscuntur. *Tertium* responso vix eget, nam *k* est *explosiva*, *ch* autem utplurimum oculis patet. Verum ut naturali *Surdorum* infirmitati parcatur, tarde & distincte, capiteque quam minime inclinato cum eis in principio

loquendum est: Secus ac quorundam mos est, qui ut facilius à *surdo* intelligantur, *os* inter loquendum miris modis distrahunt, & capite perpetuo nutante *Vocem*, *Surdis* inutilem, majori cum emphasi extorquere cupiunt.

Alii objicient, *Surdos*, *ita edoctos*, locuturos quidem, at forsan præter me neminem loquentem intellecturos: hæc sane difficultas aliquid ponderis habere videtur, at sciendum, plerosque *Literas* aliquas æque incuriose pronunciare, ac earum *characteres* negligenter pingunt: cum tali autem, qui loqui discit, perinde est, ac qui aliorum Scripturas legere docetur, & *Surdus*, cui *aures* sunt in *oculis*, verba ab aliis prolata quasi legendo intelligit; hic enim primo vix quicquam nisi à *Magistro* scriptum, deinceps & à *Commilitonibus*, denique nihil non leget, quam pessime & ἀσαφῶς scriptum: Non itaque mirandum, si, quos loqui do-

ceo, ab initio me cæteris facilius intelligant (ego enim *Literas* in omni ſua *extenſione*, non autem *mutilas*, ut multi ſolent, pronuncio) tum domeſticos & familiares, & tandem quemlibet cunque.

Quando *Diſcipulus* meus, *Surdus natus*, legere, meque loquentem aliquatenus imitari poteſt, eum ceu *tabulam raſam*, & recentem hujus *Mundi* incolam tracto: *Primo* nomina rerum maxime obviarum eum doceo, tam *ſubſtantiva* quam *adjectiva*, ut & *verba* & *adverbia* magis neceſſaria, cum *conjunctionibus* quibusdam; tum *declinationes* & *conjugationes*; denique *Linguæ* ipſi diſcendæ *peculiares conſtructiones*, quas jucundis & ipſi maxime utilibus illuſtro exemplis; quibus ſibi *neceſſariorum petitiones*, erga *Deum* & *Parentes reverentia*, & erga *proximum æquitas*, morum civilitas &c. exprimuntur. Hac in re egregii mihi uſus fuit *Quintuplex ille verſatilis orbis*, dives

totius *Linguæ Germanicæ* thesaurus, quem in *Schwenteri* deliciis Mathematicis reperi, auxi, & *Belgico* etiam idiomati adaptavi Ibi, præter *possibiles quasque vocalium, semivocalium, & Consonantum combinationes*, omnes etiam *Vocabulorum Germanicorum terminationes*, ut & *derivata* & composita cito & cum voluptate edisci possunt. *Orbes* isti ex charta spissiori conficiuntur, à primo ad quintum usque majores, marginesque, quibus sequens quisque præcedentem superat, soli perscribuntur, & ita sibi invicem aptantur, ut circa *centrum* commune, pro rei exigentia, versari possint. *Primus* continet omnes *præpositiones* aliasque *particulas*, cum quibus *nomina* & *verba* componuntur, ut *ab*, *an*, *in*, *mit*, *be*, *ge*, *ver*, &c: *Secundus* literas initiales, ut *s*, *st*, *str*, *fr*, *fl*, *kr*, *kl*, *sch*, *schr*, &c: *Tertius* omnes Vocales & Consonantes, quæ cum præcedentibus *Syllabam* aut ejus partem con-

conſtituunt: *Quartus* literas finales, in quas *monoſyllaba Germanica* terminantur, ut *rt*, *rm*, *rs*, *rf*, *rſch*, *rt*, *rn*, *rk*, *mt*, *nt*, *ſt*, *lm*, &c. *Quintus* denique omnes *Germanicorum verbalium* terminationes, ut *en*, *er*, *in*, *ung*, *heit*, *ſam* &c. Ita ut ex varia horum *orbium* gyratione ex una radice plus centena tam derivata quam compoſita fieri poſſint, quod in *Lingua* aliqua addiſcenda magnum eſt compendium.

Jam & promiſſorum alterum præſtare, fidemque, *Loquelæ vitia emendando*, liberare aggredior. Horum *Vitiorum* tanta ſeges eſt, ut ſingula enarrare tædeat, & *Interdum docta plus valet arte malum*: Quare non niſi præcipua, & quæ ſpeciatim hujuſce meæ *provinciæ* ſunt, recenſebo. Sunt ergo vel *Univerſalia*, quando univerſa *Loquela*, vel *Particularis*, quando unius alteriusve *Literæ* pronunciato vitioſa eſt: Utraque *cum* vel *abſque inſigni vocis*

& Loquelæ organorum depravatione.

Universalia cum organorum vitio sunt vel *Vocis* ipsius, ut *Aphonia*, & reliqua ejus in *quantitate*, *qualitate* & efferendi modo vitia, vel altiorem habent originem, ut ex *fatuitate*, *Linguæ* & reliquorum organorum vel *Paralysi*, vel ob rudem indigestamque molem, partiumve, quæ libere debent moveri, cum aliis coalitionem orta *immobilitate*: Cuivis autem patet, pro talibus *vitiis* ab arte hac nihil auxilii sperandum, verum ea *Medicis* & *Chirurgis* esse relinquenda.

At *vitia universalia* absque organorum vitio sunt meæ provinciæ, & sunt præcipue duo, unum est *Hottentotismus* quidam, alterum *Hæsitantia*. Illum *primo* hujus *Dissertationis Capite* jam descripsi, & est rara avis: consistit autem in eo, ut quis *Sonos*, ab aliis auditos, probe quidem intelligere & discernere, at per

Or-

Organa Loquelæ non ita elaborare possit, ut & alii eos intelligant. Talis erat *Filia* Dn. *Joannis Veer*, Scabini *Harlemensis*; ne unicam quidem *Literam* præter *t* pronunciare poterat, totusque ejus *Sermo* incondita erat farrago *Literæ t*, in infinitum repetitæ: eam tamen eodem plane modo, quo *Surdos* & *Mutos* soleo, omnes *Literas* clare & distincte effari docui, spatioque trimestri *Vitium*, pro incurabili habitum, ita delevi, ut ne vestigium superesset, & ex eo tempore venustissima Puella recte loquatur.

Hæsitantia est perpetua fere in *Sermone hallucinatio*, quæ pravæ ut plurimum consuetudini ortum debet; consistit autem plerumque in laboriosa tamque anxia *Literarum explosivarum* repetitione, ut hujusmodi *Hæsitatorum* facies, ob concitatiorem *aëris* expirationem & denegatam ejus inspirationem, livida tandem, sanguineque suffusa appareat.

His

His consulo, ut multum clara & elata voce legant, Historias recens lectas amico recitent, qnotidie aliquid memoriæ mandent, sæpiusque repetant, & non nisi tarde & præmeditata loquantur: interim eos in pronunciatione *Literarnm explosivarum*, omnibus modis possibilibus combinatarum, frequenter exerceo, *tak*, *tek*, *tik*, *pak*, *pek*, *pik*, *kuyt*, *tuyt* &c. & sic *Hæsitantiæ* medeor.

Vitia Loquelæ particularia consistunt in unius, duarum, pluriumve *Literarum* pronunciatione aut *prava* aut *nulla*, & originem debent vel *malæ* organi alicujus *conformationi* debilitative, vel *consuetudini*. *Organa*, quæ vitiari possunt, vel sunt *passiva* tantum, vel *activa*. Illa sunt *oris nasique* meatus, qui *Voci* & *Spiritui* transitum præbent, & *Loquelam* reddunt *vitiosam*, si vel justo sint *patentiores*, vel nimis *angusti*. *Oris hiatus* depravatur vel ab *inferioris maxillæ* luxatione, vel ejusdem ob aliam

ratio-

rationem immobilitate, & tum *Loquela* corrigi nequit, nisi ablatis prius istis causis. *Meatus nasalis* qnandoque nimis est patulus, ita ut *Vox* & *Spiritus* maximam partem per nares avolent; unde præter *Vitium Loquelæ* universale, & insignem *Vocis* depravationem, nascitur adhuc *particulare*, ut omnes Literæ, per os tantum explodendæ, ut *k*, *t*, *p* &c. pronunciari nequeant. *Vitio* huic succurri vix aliter potest quam *lamina* leviuscula hiatum istum ita obturando, ut *Vox* & *Spiritus* solito magis per *os* transire cogantur. Si vitium leve est, *Literæ* *k*, *t*, *p* &c. naribus compressis aut obstructis sunt pronunciandæ, vel posterior Linguæ pars ad claudendum hiatum est assuefacienda. *Bibliopola* hujus urbis Filiam habet, cui *meatus nasalis* ad medium usque *Palatum* hiat, quæque eam ob causam *Literas* enarratas nunquam pronunciare poterat, quas tamen, me *nares* digitis comprimente, ex tempore pronunciavit. Quan-

Quandoque *meatus hic* non ſatis patet, aut plane impervius eſt; tale quid patiens *Literas naſales m, n, ng*, vel difficulter vel non pronunciare poterit: quare omnis movendus lapis, ut impedimenta amoveantur, alias labor omnis foret irritus. Qui *coryza* graviori laborant, *nareſque* tenaciſſimo muco obſitas habent, difficulter Literas iſtas pronunciant, & vnlgo per *naſum* loqui dicuntur, aſt male; non enim ſatis per *naſum* loquuntur.

Organa Loquelæ activa vitii capacia ſunt *Lingua*, *Uvula* ſeu Gurgulio, *Maxillæ* cum *Dentibus* & *Labiis*. Lingua peccat vel *Quantitate*, vel *Qualitate*, vel *Motu*, aliquando *omnibus* ſimul. *Quantitas* ſæpius excedit, raro deficit, niſi cum pars ejus eſt abſciſſa, vel ulcere eroſa. Tanta ſubinde eſt, ut tota oris cavitas ea repleatur, & tum *Loquela* inſigniter inde læditur; *Lingua* enim inter loquendum ubique fere impingit, &

ſic

ſic *Literæ* quædam vel plane non pronunciantur, vel miſere diſtorquentur: In hoc caſu *Lingua*, quantum quidem ejus moles patitur, ad ſpeculum manu quaſi duci debet: *Nobilem* aliquando *Danum* in ædibus meis habui, qui præ terquam quod ob nimiam *Linguæ* molem plures *Literas* male pronunciabat, *Literam k* nullo unquam conatu elicere poterat, ejuſque loco dicebat *t*: Ego binos digitos *Linguæ* ejus firmiter impoſui, & *ka* pronunciare juſſi: ipſe, ut aſſuetus erat, volens dicere *ta*, *Linguam* dentibus applicare non potuit, & proin neceſſario *ka* cum ſumma admiratione dixit. Idem *Nobilis Literam l*, quæ circa *dentes* formari debet, in poſteriori oris regione admodum vitioſam pronunciavit: at brevi eum aſſuefeci, ut eam, Lingua dentibus applicata, poſtea ſatis recte pronunciaret. De *Litera r* in hoc caſu vix boni quid ſperare licet. *Linguæ qualitas* alteratur, quando *fibræ*

bræ ejus *motrices* nimis ſunt flaccidæ, unde quædam ejus pigrities oritur, quæ imprimis pronunciationi Literarum *l* & *r* nocet. In aliquibus *vitium* hoc *ætate* corrigitur, aucto enim naturali calore *tonus fibrarum cum univerſo nervorum genere* roboratur: Aliquibus eſt *hæreditarium*, & non ſpernendum: Ego tamen in pluribus feliciter ſuperavi, & nuper admodum in Mercatoris Roterodamenſis *Filio Filiaque*, qui *Literas r* & *l* plane non pronunciabant, & in earum locum, ubicunque occurrerent, *i* ſubſtituere ſolebant: nunc autem, vera *Linguæ* ſitu à me præmonſtrato, uterque *l* promte & recte pronunciant, *r* autem tantiſper ut *Gutture*, ſicuti vulgo dicitur. In *motu* peccat *Lingua*, cum vel tota ejus pars *inferior* & *lateralis* immobilis ſedet, quod vidi aliquando in *Puella quadam* in ædibus Excell. D. *Ruyſch*: tale *vitium* arte corrigi vix poteſt. Vel cum pars *Linguæ*

ante-

anterior fræno, de *Tongriem* non inepte dicto, nimis adstricto & brevi cohæret, unde ejus versus *dentes superiores* motus valde impeditur, *Literarumque r* & *l* pronunciatio difficilis fit vel nulla: Vitium hoc facile *fræni incisione*, & postea diligenti *exercitatione* superatur. Vel cum Lingua *fræno* suo penitus caret, & tum *Litera l* sola læditur; cum enim Lingua, ad pronunciandum *l*, sursum & simul tantisper retrorsum trahitur, quia non retinetur à fræno, ad posteriora relabitur, seque subito restituendo obscurum quoddam *r* loco *l* efformat: Vitium hoc rarum est, & facile superatur, si patiens id, dum *l* pronunciare vult, *Linguam* sursum, & simul ad antiora movere assuescat.

Uvula vel deest irreparabili damno *Loquelæ*, vel nimis ampla est. *Prius vitium* & *vocem* lædit, ut experiuntur ii, quibus pars ista *Gallico* aliove ulcere exesa est, & *Literarum explo-*

ſivarum pronunciationem, quia *ſpiritus* in oris cavitate non ita coërceri poteſt, quin per *naſalem meatum*, interim ab *uvula membranaque palati* claudendum, abeat, excedat, evadat, erumpat. Poſterius *Loquelam* non tam inſigniter corrumpit, tamen *Literas naſales* aliquatenus reddit obtuſiores: verum corrigitur ejus particulam amputando.

De *maxillæ inferioris vitiis* dixi, ubi de vitioſo *oris hiatu* loquebar, ſuperior aliquando carie corrumpitur, verum tum & *Vox* & *Loquela* in univerſum læditur. Pauca ergo addam de *Dentibus* & *Labiis*.

Vitiatur *Loquela*, cum *dentes* vel *deficiunt*, vel adeo denſi ſunt, ut nulla habeant *interſtitia*: in utroque caſu præcipue *s* & *f* vitioſe pronunciantur, in priori etiam *Vocales e* & *i*, quæ circa dentes quaſi acuuntur. *Dentium defectui* artificioſorum inſitio medetur, nimiæ autem denſitati, particulæ inter *caninos* & *inciſorios* li-

mâ

mâ ablatio, ut *spiritus* in pronunciatione *s* & *f*, *z* & *v*, iſta interſtitia libere pervadere queat.

Loquela tandem vitiatur à *Labiis leporinis*, & *vulnere ulcereve* corruptis; nam *Literæ m*, *b*, *p*, *f*, *v*, formari nequeunt, aliæ ut *o*, *u*, oͤ, uͤ fere corrumpuntur: proin ſi *labium leporinum* eſt in culpa, curandum eſt, tamen opus eſt *exercitio*, pro *Literarum labialium* efformatione requiſito, donec acquiratur habitus: Si autem deficiunt utrumque, medelæ locus non eſt, niſi quis *digitis* ſuis Labiorum defectum artificioſe ſarcire noverit: Si alterum, ſanum utriuſque tandem, beneficio diligentis exercitationis, ſupplebit vicem. *Puerum* vidi, cui *Labium* inferius adeo erat exiguum, mentumque retractum, ut *Literam f* fingere nequiret; me autem jubente, *Labium* ſuperius *Dentibus* inferioribus applicuit, primaque expiratione *f* pronunciavit.

Loquelæ vitia ex mala conſuetudine

contracta sunt fere infinita, at carent nominibns, nec nisi viva voce definiri possunt: consistunt autem in unius alteriusve *Literæ* justo *leniori* aut *asperiori*, *pinguiori* aut *acutiori*, *apertiori* aut *strictiori* pronunciatione. Quare ea cuivis, ex positis in hac *Dissertatione* fundamentis emendanda relinquo. Qui *Linguæ* sibi peregrinæ operam dant, in hunc numerum sunt transcribendi.

Est & aliud adhuc *Loquelæ* vitium, *Concionatoribus* quibusdam familiare, qui, licet, egregie clamosi, à centesimo quoque vix intelliguntur; Hujus rei causa est, quod, clamori tantum intenti, *Consonantes* sub *Vocalibus* quasi sepeliant, & vocem suam, *tertiâ* vel *quartâ* acutiorem eam reddendo, prodigant, aëremque è *pulmonibus*, antequam periodum absolverunt, totum expirent, ultima autem verba imperfecta, & velut inspirando, efforment, eaque, ut vulgus non male loquitur, devorent:

rent: Verum ipſi, modo velint, ſe corrigent, frænum *voci* injiciendo, eam non adeo impetuoſe extollendo; ita enim & ſibi & auditoribus bene conſulent.

Quicquid hactenus de *Voce* & *Loquela* dixi, de quotidiana illa & vulgari accipi velim, quæ fit expirando; eſt enim & alius adhuc modus eam per inſpirationem formandi, qui non cuivis datus eſt, quemque aliquoties in *Gaſtrimythis* quibusdam admiratus ſum: Et *Amſtelædami* olim *Vetulam* quandam audivi utroque modo loquentem, ſibique ad quæſita quaſi inſpirando reſpondentem, ut eam cum *Viro*, duos ad minimum paſſus ab ea remoto, colloqui dejeraſſem; *Vocem* enim, inter inſpirandum abſorptam, è longinquo venire credebam. *Muliercula* hæc *Pythiam* agere facile potuiſſet.

Hæc quidem *Surdis* & *Mutis*, in quorum gratiam ſcripta ſunt, præ

aliis utilia esse possunt: plura tamen commoda, quæ in *Dissertatione* hac passim innui, & in alios inde redundabunt, dummodo in *praxin* deducantur.

I. Qui difficulter adeo audiunt, ut nec conciones Sacras, nec hominum consortium sine maxime incommodo frequentare possint, se ipsi coram *speculo* ita exercitare poterunt, ut, spreto *auditu*, in posterum *oculis* sint audituri, maximamque inde voluptatem percepturi.

II. *Pueri* sub perito *Magistro* non solum perexiguo temporis spatio, hujus *Methodi* beneficio, legere discent, quamcunque *Linguam* lubuerit: sed &, si inter discendum ad singularum *Literarum efformationem* attendere assuefiant,

III. Tam *oculis* quam *auribus* postea audient; unde insignem non raro utilitatem ferent; cum enim plurimum sæpe nostri intersit, quid de nobis

nobis clam agatur dicaturve, quæque in nos aliosve clandestina cudantur consilia, quæ, licet ipsi præsentes simus, facile mussitando & submisse loquendo occultari possunt, felices erimus, si, quod *auribus* denegatum est, *oculis* detegendo discrimen evitare, & insidiosa aliorum arcana hoc modo scire liceat.

IV. Quibus *Loquela* insigniter *vitiosa* est, uti jam innui, juxta præcepta, à me tradita, non emendabunt tantum sua vitia, sed etiam, nisi organa plane sint inepta, penitus delebunt, ipsi sibi *Magistri* futuri.

V. *Genuina Linguarum* quarumcunque *pronunciatio* hac Methodo ab interitu servabitur, & licet periret, parvo negocio in integrum restaurabitur, si *Literæ* modo, à me præmonstrato, delineentur.

Cum

Cum itaque, ex ſententia *Horatii*,

Omne ferat *punctum*, *qui miſcuit utile dulci*,

haud fruſtra forſan nonnullis videbor natus, qui admirandum hoc *loquendi artificium* attentiori oculo intuentes, & eorum, quæ hic tradidi, veritatem non abſque gaudio percipient, iiſque, ſi offeratur occaſio, in ſui aliorumque commodum utentur, & *Dei Creatoris noſtri* laudes, ad quod *Loquela* imprimis nobis data eſt, lubentiſſime mecum deprædicabunt.

FINIS.





